SLUB
Wir führen Wissen.
http://digital.slub-dresden.de/id394110552/1
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft
DFG

Theol. Jud: 187.

SLUB
Wir führen Wissen.
http://digital.slub-dresden.de/id394110552/2
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft
DFG

QUOD FELIX FAUSTUMQUE SIT!

שאר ישוב
שאר יעקב

SEU

DISSERTATIO PHILO-THEOLOGICA,

QUA EX

Hos. III. vers. 4.5.

DISQUIRITUR,

AN SPERANDA SUPERSIT INSIGNIS QUÆDAM JUDÆORUM CONVERSIO?

Sub PRÆSIDIO

DN. DAVIDIS CLODII,

SS. Th. DOCTORIS, ejusdemque Extraordinarii,

Linguar. vero Orient. Ordinarii PROFESSORIS,

inclytæ Facultatis Philos. h.t. DECANI, &c.

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI EXHIBITA

AB

EBERHARDO HAMEL, HAMBURG.

AUTH. & RESP.

Ad d. 14. Septembr. Anno MDCLXXXIII. H.L.Q.C.

GIESSÆ HASSORUM,

Literis Academicis KARGERIANIS.

SLUB Wir führen Wissen. http://digital.slub-dresden.de/id394110552/3 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

VIRIS
MAGNIFICA AVTORITATE,
GENERIS NOBILITATE,
MVNERVM AMPLITVDINE,
CONSILIORVM PRVDENTIA,
RERUM GERENDARUM DEXTERITATE
UNDIQUAQUE EXCELLENTISSIMIS,
DOMINIS,

DN. JOHANNI Schulten/
J. u. LIC.

DN. JOHANNI Schröder/

DN. HENRICO Meurer/
J. u. LIC.

DN. DIETERICO Möller/
J. u. LIC.

LIBERÆ IMPERIALIS REIPVBLICÆ
HAMBURGENSIS
CONSULIBUS,
PATRIÆ PATRIBVS GRAVISSIMIS,
DOMINIS ET MÆCENATIBUS MEIS
OMNI PIETATIS ET OBSERVANTIÆ CULTU
HUMILIME VENERANDIS.

SLUB Wir führen Wissen. http://digital.slub-dresden.de/id394110552/4 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

VIRI
MAGNIFICI, NOBILISSIMI,
CONSVLTISSIMI, AMPLISSIMI,
ET EXCELLENTISSIMI.

VErebar equidem initiò, cum Ampliſſima Nomina VESTRA huic diſputationi meæ præponere cogitarem, ne ob inceptum hoc meum reprehẽdi, aut temeritatis accuſari merito poſſim, præſertim, quod VOBIS non adeò notus, non exploratâ prius voluntate VESTRA,

illud auderem; verum, cum propensam VESTRAM, qua estis erga omnes meliorum literarum studiosos, benevolentiam mecum reputarem, eo faciliùs veniam facti hujus mihi videbar impetraturus, quo plura sese offerebant argumenta, quæ non tantum, quod fecerim excusare, sed &, ut facerem, poterant impellere. Cum enim VOS, VIRI MAGNIFICI, ejus Reipublicæ, in qua & nasci mihi & educari contigit, summa esse Capita & Moderatores sciam, quid magis mearum esse partium potuit, quam ut pium me VOBIS Civem sisterem? Quid æquius, quam ut, quod hactenus facere non licuit, pro beneficiis ex Prudentissimo Moderamine VESTRO non minus in me, quam in alios profectis gratum publico aliquo testimonio præstarem? Præterea VOS estis, quorum Patrocinio, quod uberrimis jam documentis non mei modo, sed & ego aliquando experti devote veneramur, me maxime felicem esse posse dudum credidi; Quos itaq; Patronos mihi præcipue pararem, nisi VOS, inveni neminem. Cultius quidem opus & accuratiori ca-

lamo

lamo elaboratum VOBIS fuisse offerendum non diffiteor; verum, cum nihil hujusmodi, quod VOBIS dignum esset, proferre potuerim, confido etiam levia hæc animi VOBIS devotissimi documenta VOS, qua estis magnanimitate, æqui boniq; consulturos, non tam quid, quam quo animo exhibeatur, respicientes: Ideoq; tantum abest, ut materiam, quæ Theologica est, à VOBIS alienam duxerim, ut potius gratã eam VOBIS fore sperem, vel hoc nomine, quod Judæorum, quorum non exiguus numerus VESTRO imperio à Deo est subjectus, futura fata exponat. Accipite ergo PATRONI ET MÆCENATES MAXIMI, hoc, quod submisse VOBIS tradere mea me jussit observantia, inq; Patrocinium VESTRVM recipite eum, qui se studiaq; sua VOBIS humilime cõmendat. De me, licet nihil quod Favori beneficiisq; VESTRIS comparari possit, promittere audeam; hoc tamen spondeo, me in ardentissimis semper pro incolumitate VESTRA fundendis precibus nunquam cessaturum, atq; in id summis viribus allabo-

ratu-

raturum, ut saltem non ingratus dici jure possim. Interea VOS, VIRI MAGNIFICI, familiasq; VESTRAS splendidissimas Deo Opt. Maximo, ut sospites diuq; incolumes servet, meq; denuo VESTRO Favori & Benevolentiæ commendo, quitum voti mei me compotem factum putabo, si per petuò vocari possim

VVVV. EEEE. MMMM.

Humillimus & Obsequentissimus

EBERHARDUS HAMEL.

Proœmium.

QUI poſt captivitatem Babylonicam, poſitis primis Templi ſecundi fundamentis, Sacerdotes, Levitæ & Seniores, pretioſum deſtructi Templi Salomonæi ædificium in memoriam ſibi revocantes magna voce fleviſſe leguntur, (a) juſtam equidem tum temporis doloris ſui habuere cauſam; Quandoquidem ex tenuibus admodum principiis illis facile poterant colligere, nunquam præſentis Templi tum ædificandi gloriam in illud faſtigium exſurrecturam, ut priori Templo poſſit æquari: Verum, ſi ex tumulis ſuis illi jam reſurgerent, miſerrimumque, in quo hodie poſteri eorum [ſi modo legitimi illi ſunt] vivunt, ſtatum intuerentur, eò plures certe lachrymandi cauſas haberent, quo majorem priſtinæ fortunæ mutationem eſſent cognituri. Viderent enim gentem illam, quam olim à DEO in peculium electam, & maximis tam ſpiritualibus quam corporalibus beneficiis ornatam noverant, jam à DEO relictam, priſtinaque felicitate privatam omnibus aliis gentibus abjectiorem, plurimis abominabilem eſſe; Experirentur eam, quæ olim ob optime inſtructam Politiam, Urbem Hieroſ., Templum, aliaq; ornamenta per totum orbem inclaruerat, nunc extinctâ Politiâ, Patria & Urbe ejectam, Templo ſacrisque ſpoliatam, confuſis tribubus, abſque ullo Propheta & Prophetia, per 15. jam ſecula, & quod excurrit, aliorum ſub dominio degere, iramque DEI in ſe graviſſimam, publicæ ſpectandam omnibus proponere. Quo quid dici poteſt gravius, aut ploratu dignus? Et certe non corporalia tantum ſunt, quibus Judæi premuntur, mala; ſed & ſpiritualia: Adeo palpabili enim in ſpiritualibus cœcitate ſunt percuſſi

a) Eſr. III. 12. 13.

cuſſi, ut, quid ſibi conducat, audientes non audiant, & videntes non intelligant; Atque ita, quo minus miſeriam ſuam, & qua ratione ex ea liberari poſſint, cogitant, eo ſunt miſeriores. Neque tamen ſummum hoc & diuturnum malum nihil hujusmodi meritis obtigit, ſed ſibi ipſis ſuæque pertinaciæ, hoc, quicquid ferunt, debent: Cum enim Meſſiam Patribus ſuis ſibique non minus quam reliquis gentibus promiſſum, & tandem tempore deſtinato in mundum miſſum non modo vera fide non receperint; verum etiam ſumma malitia rejectum cruci affixerint, Deus eos viciſſim juſtiſſimo judicio abjecit, &, quoniam liberos ſe jactantes per Chriſtum à peccati ſervitute liberari nolebant, captivitati & corporali & ſpirituali, omni calamitate hic affligendos, &, ni convertantur, æterna damnatione cruciandos tradidit. Quam infortunii ſui cauſam eſſe, ipſi Judæi in conſcientia convicti confiteri coguntur: Sic enim R. Moſ. ben Maimon. (b) אף אותו שרמז שיהיה משיח ונהרג בגד כבר נתנבא בו דניאל שנאמר ובני פריצי עמך ינשאו להעמיד חזון ונכשלו וכי יש מכשול גדול מזה שכל הנביאים דברו שהמשיח גואל לישראל ומושיעם ומקבץ נדחיהם ומחזק מצותם וזה גרם לאבד ישראל בחרב ולפזר שאריתם i. e. *Etiam de illo, qui videbatur eſſe Meſſias,* [loquitur de Jeſu noſtro] *& interfectus eſt per domum Judicii,* [i.e. autoritate concilii Hieroſ.] *jam dudum prophetavit Daniel,* (c) *quando dicit:* Filii vero effractores populi tui tollentur ad ſtabiliendam viſionem, & corruent. *Numquid vero majus offendiculum eſt, quam quidem illud, quod omnes Prophetæ Meſſiam dixerunt futurum eſſe Redemtorem Iſraelis, eosq; ſervaturum, depulſos congregaturum, & præcepta eorum confirmaturum: Hic vero in cauſa eſt, quod Iſraelitæ gladio perditi & reſidui eorum diſperſi fuerint?* Idem aſſerit, licet ad Chriſtum jam converſus R. Sam. Marochianus in libro de adventu Meſſiæ cap. 1. cujus verba adducit Gerhardus. (d) Jam vero, cum ita miſeri affligantur, & parum aut ſaltem non recte de ſalute ſua ipſi ſolliciti ſint, non immerito inter Chriſtianos ſalutem ipſorum conſiderantes quæſtio ſuboriri poſſet: *An ex hoc ſtatu liberari poſſint, aut liberandi aliquando ſint?* Multa equidem Judæi de adventu Meſſiæ ſui fabulantur, qui eos in terram Canaan

b) הלכות מלכים cap. XI.

c) Cap. XI, 14

d) LL. Th. Tom. IX. Loc. 31. §. 109. Simile teſtimonium ex libr. שבט יהודה adducit Hoornbeck תשובת יהודה lib. III c. 4. p. 286.

Canaan reducturus sit,& opiparo admodum convivio exceptu-
rus, quod instruendum sit ex tauro sylvestri horrendæ magni-
tudinis, שור הבר ס.בהמות; [qui quotidie mille montes depa-
scit] ex ceto לויתן; ex ave בר יוכנה tosta & assata; [cujus tan-
tam dicunt esse magnitudinem, ut, quando alas suas pandit, or-
bem solis tegat,& ut ovo ejus è nido aliquando delapso, trecen-
tæ cedri proceræ fuerint prostratæ, & 60. pagi inundati] & ex
vino veteri præstantissimo.[quod in ipso Paradiso crevit, & in
cella Adami in illud usque tempus asservatur.](e) Sed hæ meræ
nugæ sunt eorum, qui, quod vigilantes volunt, somniant. Mihi
omnino mecumque aliis rectius quid ex Scripturis constabit, si
dicta eâ de re agentia consideraverimus: Singula vero jam ex-
cutere longius foret, quam ut disputatione tali, qualem qui-
dem ego jam suscipio, absolvi possit. Unicum ergo hac vice lo-
cum Hos. III. v. 4. 5. in disputatione hac pertractandum sumsi.
Quem ipsum, ut eò certior & fides & cognitio nostra sit,& qui-
vis, cui quidem miserorum illorum salus curæ est, εἰς τὸ παραζηλῶσαι αὐτοὺς (f) incitetur, quantum quidem DEUS conces-
rit opis, ita excutiendum mihi proposui, ut post debitam Ἐξήγησιν, pia Συζητήσει has tres quæstiones considerem.

e) Uberius convivium hoc ex Judd. scriptis describit Buxt. Synag. Jud. ca. 36. p. 455. seq. Hulsi. Theol. Jud. Lib. I. part. 1. p. 229. seq. Hoornbeck. d. l. lib. VIII. c. 1. p. 536. & alii.

f) Rom. XI. 11

*I. Utrum in loco hoc agatur de Judæorum corporali in ter-
ram Canan reversione, an vero de reversione spirituali ad Ecclesiam
Christi, seu conversione?*

II. An Conversio, quæ hic prædicitur, jam facta sit?

III. An etiamnum,& quando futura sit?

TEXTUS AUTHENTICUS.

Hos. III. v. 4. 5.

כִּי יָמִים רַבִּים יֵשְׁבוּ בְנֵי יִשְׂרָאֵל אֵין מֶלֶךְ וְאֵין שָׂר וְאֵין
זֶבַח וְאֵין מַצֵּבָה וְאֵין אֵפוֹד וּתְרָפִים : אַחַר יָשֻׁבוּ בְנֵי יִשְׂרָאֵל
וּבִקְשׁוּ אֶת־יְהוָה אֱלֹהֵיהֶם וְאֵת דָּוִד מַלְכָּם וּפָחֲדוּ אֶל־יְהוָה
וְאֶל־טוּבוֹ בְּאַחֲרִית הַיָּמִים :

Versio Lat. Tremellii.

Nam diebus multis desidebunt Israëlitæ, nullo Rege, nullo q; Principe, & nullo sacrificio, ac nulla statua: nullo deniq; amiculo & imaginibus. Postea reversi Israelitæ quærent Iehovam Deum suum & Davidem Regem suum, & pavidi accedent ad Iehovam & ad bonitatem ejus ultimis temporibus.

Versio Lutheri.

Denn die Kinder Israel werden lange Zeit ohn König/ohn Fürsten/ ohne Altar/ohn Leibrock / und ohn Heiligthum bleiben. Darnach werden sich die Kinder Israel bekehren/und den HErrn ihren Gott / und ihren König David suchen/und werden den HErrn und seine Gnade ehren/in der letzten Zeit.

Versiones alias, Græcam, Chaldaicam, Syriacam, Arabicam, quia brevitati studendum est, omitto. Poterit L.B. ex Bibliis Polyglottis eas commodiùs ipse legere.

Ἐξήγησις.

¥. 4.

§. 1. כי ימים רבים *Nam diebus multis.* *i.e. tempore longinquo.* Ita enim hoc loco vocem ימים exponendam esse, perspicuum esse puto: Non vero insuetam esse hanc vocis hujus acceptionem patebit ex inspectione sequentium locorum: Jer. XIII.6. cap. XXXII.14. c.XXXV. 7. &c. ubi itidem ימים רבים pro *tempore longinquo* adhibetur. Quam varie aliàs vox ימים & ejus singularis יום usurpetur, ut non tantum *diem naturalem* & *artificialem*; verum

diem *solarem, annum* diebus integris completũ, interdum quoque *res die vel tempore aliquo gestas* denotet, ex Lexicis & Concordantiis satis superque cognosci potest. (g) Non autem illud ימים רבים [quo longinquum aliquod tempus indefinitè indicatur] mensibus vel annis quatuor, sex, aut pluribus, sed seculà exæquantibus hoc loco videtur metiendum. Quamquam enim D. Grossehainio (h) non invitus concedam, formulam hanc, ימים רבים interdum etiam de paucioribus, v. gr. quatuor vel sex annis (i) adhiberi; hoc tamen in loco tam breve tempus eam denotare ex subsequẽtibus non fit verisimile. Quid? quod ipse Grossehainius (k) hos dies multos à primo decem tribuum exilio incipere, & per אחרית הימים i. e. initio N. Test. finitum esse putet: At tempus illud non annos quatuor vel sex, sed secula septem & ultra duravit. Ideoque concedat necesse est, per ימים רבים hic non breve aliquod sed longinquum tempus intelligi; Per בני ישראל autem non 10. sed 12. tribus intelligi, & quid per אחרית הימים indigitetur, in subsequentibus demonstrabitur.

g] v. Schindl. Lex. Pentagl. Buxt. Lex. Bibl. sub rad. יום Drus. Animadv. Lib. I. c. 1. conf. Gl. Ph. Sacr. Lib. III. Tr. 1. can 38. p. 152. & Lib. V. Tr. 1. c. 4. p. 57.

h) Diatrib. de Cathol. Iud Convers. p. 53.

i) Deut. XX. 19.

k) d. l.

§. 2. ישבו *sedebunt.* Propria radicis ישב significatio est *sedit, assedit, consedit* &c. *Sedere* autem de ejusmodi hominis statu in sacro Codice usurpari solet, quo quis, vel otiosus & ab agendis vacuus assidet, prout Abraham *sedisse* legitur *ante ostium tentorii sui*; (l) vel defatigatus quietem capit; (m) vel in loco aliquo alium præstolans brevi tempore subsistit: Sic Abraham pueris suis dicit: שבו לכם פה *sedete vobis hic*, i. e. præstolamini me, &c. (n) & Gideoni Angelum petenti, ne è loco illo recederet, Angelus respondit: אשב *sedebo*, i. e. subsistam hic, donec revertaris. (o) vel certum alicubi domicilium statuens, diu aut semper commorâtur & habitat, (p) quo sensu etiam in nonnullis N. T. locis ex Hebraismo vox καθημαι adhibetur; Sic dicitur (q) λαὸς καθήμενος· *populus sedens* i. e. habitans *in tenebris*, & καθημένοις *sedentibus*, i. e. habitantibus *in regione & umbra mortis.* Adhibita ergo hæc vox à Propheta videtur, quia scopo ejus in describendo futuro Israëlitarum statu optime conveniebat. Indicaturus enim erat, fore, ut filii Israël omni reipublicæ forma exuti, atque à peragendis sacris suis vacui, tanquam

l) Gen. XVIII. 1. &c.

m) Gen. XXI. 16.

n) Gen. XXII. 5.

o) Jud. VI. 18 &c.

p) Gen. IV. 20 c. XIII. 12. 1. Sam. XXVII. 5. 6. 7. &c.

q) Matth. IV. 16. conf. Luc. I. 74. cap. XXI. 35. &c.

otioſi, neque verum Deum neque idola colentes ſedeant, & quamvis variis ærumnis defatigati quietem ſæpius exoptent, tamen nulla ipſis requies concedatur; ſed inviti, non breve aliquod tempus, verum quam diutiſſime, ut qui in loco aliquo fixam habitationis ſuæ ſedem figunt, in exilio commorari cogantur. Dum vero eos *ſeſſuros*, ſine Rege & Principe, ſine ſacrificiis &c. aſſerit, præſupponit eorum ex ſedibus propriis in terras al as deportationem; ſiquidem quamdiu in terra patria fuere, neque Iſraëlitæ, (r) neque Judæi unquam ſine Rege &c. ſederunt, teſte rerum Judaicarum hiſtoriâ. Unde minus recte dictus Groſſehain colligit, quia nulla expreſſa deportationis alicujus injiciatur mentio, ideo hic non agi de ſtatu tali, qui deportatis evenit.

r) quod vult Groſſeh. diatrib. de Cathol. Jud. cõverſ. p. 52.

§. 3. בני ישראל *filii Iſrael.* Iſraëlis nomen Patriarchæ Jacobo, ex Meſopotamia in Patriam revertenti intervias cum Angelo illo increato, qui ſummus Jehova erat, (s) ad vadum Jabok luctanti, precibusque & fide vincenti, in victoriæ piæque fortitudinis monumentum ipſe Filius Dei luctator impoſuit, hac addita ratione: *Erit nomen tuum Iſrael*, כי שרית עם אלהים *quia Principem te geſſiſti cum Deo.* (t) Unde ſimul dilucide apparet ἔτυμον hujus nominis non eſſe ישר אל *rectus*, ſeu *rectiſſimus Dei*; (u) neque איש ראה אל *vir videns Deum*, i. *mens videns Deum*, ut plurimi ex veteribus, ſonum potius vocis quam literas attendentes docent; (w) [Tum enim ſcribendum fuiſſet, non ישראל ſed vel ישראל vel אישראל] Verum derivari ex שרה *Principem ſe geſſit*, & אל *Deus*, ut ſit, quaſi *Princeps Dei.* Jod autem eſt litera formativa nominum cumprimis propriorũ, ut patet ex יצחק יעקב &c. (x) R. Sal. Jarchi in Gen. XXX. 29. hanc ſuperadditi novi nominis rationẽ reddit, non vocatum iri nomen ejus Jacob, ſed Iſrael, *ne in poſterum benedictiones ipſi obveniſſe dicerẽtur* בעקבה ורמיה *fraude & dolo, verũ* בשררה וגלוי פנים *ingenue & infucate.* Quam ſententiam, licet abſurda quidem non ſit, longius tamen aliquanto petitam ipſi defendendam remittimus. Ab Iſraële poſtmodum pro Hebræorum more, [qui, prout non tantum Patres, ſed & avos, proavosque ac

s) quod plurib. probat Gerhard. in Gen. XXXII 29. q. 2. p. 616 & alii.

t] Gen. XXXII, 29.

u) ut interpretatur Hieron. in Eſa. XLIV, 1. & Mal. I. 2. qui tamen in qq. Hebr in Gen. aliam, eamq; veram ſententiam ampleƈti videtur.

vv) Philo lib. de Abrah. Origen. homil. 2. in Numer. Aug. lib. 16. de C. D. c. 39. & alii.

x) vid. Tarnov. in Hoſ. XII. 4. Riber. in Hoſ. XII. n. 4. 5. 6. Gl. Phil. Sacr. Lib. IV. Tr. 3. obſ. 14. p. 834. Hotting. Theſ. Philol. lib. 1. cap. 1. ſect. 2. p. 6.

ac longa ſerie majores אבות *Patres* dicunt; ita non filios tantum, ſed & nepotes & pronepotes, longaque ſerie ſequentes poſteros בנים *filios* appellant] poſteri ejus בני ישראל *filii Iſrael* ſ. Iſraëlitæ dicti ſunt, prout paſſim in codice ſacro videre eſt. Obſervandum autem, quod τὸ בני ישראל ſ. ישראל in Scriptura ſumatur vel *late*, vel *ſtricte*, vel *ſtrictiſſime*. *Late*, cum *omnes 12. tribus* comprehendit, quo ſenſu ante ſeparationem tribus Judæ & Benjamin à reliquis 10. tribubus ſemper, & poſt eam ſæpe (y) accipitur. *Stricte*, cum 10. *tribus* à tribu Judæ & Benjamin ſegregatas denotat, quippe quæ à tempore Jeroboami, Iſraëlis & regni Iſraëlitici nomen ſibi ſolis ſervarunt, id quod in libris Regum & Chronicorum hinc inde apparet. *Strictiſſime*, quando *ſoli Judæi* ſpecialiter ita dicti hoc nomine inſigniuntur. (z) Interdum etiam *in ſenſu ſpirituali quosvis fideles*, qui ut vera veræ Eccleſiæ membra Abrahamum & Iſraëlem fide imitantur, ſive Judæi illi ſint, ſive gentiles ortu, notat. (a) Hoc vero in loco non decem tantum tribus, (quod volunt Judd. in Talm. tr. סנהדרין c. 23. citant: רלק & רשי in h.l. Druſ. & Grot. in h.l. & Groſſehain. d.l. p. 52.) ſed tota gens Iſraëlitica, adeoque XII. tribus ſimul, Juda & Benjamin non excluſis, intelliguntur. Nam 1. Hoſeas, quanquam præcipuè contra regnum Iſraëlis, tamen & contra regnum Judæ prophetavit, id quod apparet, tum quod ſtatim ab initio (b) tam Regum Judaicorum, quam Iſraëliticorum ſub quibus prophetaverit, mentio fit; tum inde, quod communia peccata, idololatriam, ingratitudinem, &c. (c) arguit: Judæos vero tempore Hoſeæ non minus quam Iſraëlitas ſcortatos fuiſſe, idola colentes, ex hiſtoria Achas manifeſtum eſt. Unde etiam, in pœnis & promiſſionibus Evangelicis utrumque regnum ſæpiſſime & ita etiam hoc in loco conjungens, communia mala & communia bona denunciat. Neque 2. inſuetum ipſi eſt utrumque regnum, ſeu omnes 12. tribus ſub בני ישראל ſ. ישראל comprehendere. (d) 3. Dicit h.l. eos manſuros ſine Principe, quo non obſcure tribus Judæ unà ſubinnuitur, quippe quæ poſt captivitatem Babylonicam, veluti reliquiæ Iſraëlis à Principibus indigenis gubernata fuit, cum reliquæ tribus poſt deſtructum regnum nullos unquam Principes ſui ſanguinis habuerint.† §. 4.

y) Eſ. X. 20. 21. 22. c. XVII. 3. 9.

z) Eſr. VI. 20. 21. Neh. I. 6. conf. v. 2. c. IX. 1. &c.

a) Jer. XXIII. 6. c XXX 10. cap. XXXIII 14. 16. conf. Rom. IX. 6. 7. 8. Gal. III. 29. c. VI. 16. &c.

b) Cap. I. 1.

c) Cap. I. 2. Cap. II. 1. 2. c. IV. V. VI. VIII. &c.

d) cap. I 10. conf. v. 11. Cap. IV. 1. cap. X. 9. conf v. 10. &c.

† v. Meiſn. in h.l.

§. 4. אין מלך *absq; Rege.* Quid per Regem intelligatur in aprico eſt. Prædicit autem Propheta, eos tempore longinquo manſuros absque Rege, non quidem, quod ſine omni dominio ſuperiori, liberi, ſibi ſolis relicti victuri ſint: [qualis deſcribitur ſtatus tempore Judicum, in quibus diebus אין מלך *nullus erat Rex in Iſraele*, quivis quod rectum ſibi videbatur, faciebat (e)] ſemper enim poſt everſam Politiam propriam, Regibus gentium tàm Ethnicarum, quam Chriſtianarum vel inviti ſubjecti fuere; verùm, quod nullum Regem ex genere ſuo, ſive ex Davidis, ſive ex aliâ aliquâ familiâ ſint habituri. Hinc Chald. vertit: לית מלכא מדבירת דוד *ſine Rege ex familia Davidis*, & Kimchi: לא מלך ולא שר מישראל *ſine Rege & ſine Principe ex Iſrael, i.e. Iſraelita.*

e) Jud. XVII. 6. & XVIII. 1.

§. 5. ואין שר *& abſq; Principe.* Radix שור, ſ. ut alii volunt, שרר ſignificat *Principatum geſſit, Princeps fuit.* Hinc quicunque aliis præerat, & imperium aliquod in ſubjectos ſibi exercebat, ſive à ſuperiori aliquo, ſive à nullo dependeret, dicebatur שר *Princeps, Præfectus, Dux*; atque ita coincidit cum Gr. ἄρχων, quod eodem modo quemvis Præfectum denotat, & fere ubicunque in Hebræo ponitur שר, in verſione Gr. LXX. reperitur ἄρχων. Hinc in S. Literis variorum שרים *Principum* mentio occurrit: Fuere enim 1. שרי השבטים *Principes tribuum*, qui primùm à Moſe juſſu Dei juxta numerum tribuum, duodecim conſtituti (f) ſingulas tribus duxerunt, earumque rationes adminiſtrarunt. Hi Regi aſſidentes ab eo in Concilium vocari, (g) & fœderibus cum extraneis pangendis adhiberi, ſingulisque tribubus jus reddere ſolebant. (h) 2. שרי האבות *Principes paternarum familiarum.* (i) Hi familias, quibus præerant, convocabant, atque ad eas, quæ ad Rempublicam pertinerent, deferebant, earumque in bello duces erant. (k) 3. שרי המדינות *Principes provinciarum.* (l) qui totis provinciis præerant. 4. שרי הערים (m) *Principes civitatum*, qui aliàs & שרי העם *Principes populi* dicuntur. (n) qui itidem à Moſe primùm in deſerto conſtituti conſiliis judiciisque præfuerunt, & fuere pro numero eorum, quibus præerant, שרי אלפים *Chiliarchæ*, שרי מאות *Centuriones*, שרי חמשים *Quintagenarii*, שרי עשרות *Decani*, (o) 5.

f) Num. I. 4. ſeq. conf. 1. Par. XV. 5. ſeq. &c.
g) 1. Par. XXVIII. 1. 2. 2. Reg. VIII. 1
h) vid. Sigon. de Republ. Heb. Lib. VI. cap. 5.
i) 1. Par. XXIX. 6. Eſr. VIII. 29.
k) Sigon d. l. cap. 6.
l) 1. Reg. XX. 14. 15. &c.
m) 1. Reg. XXII. 26 &c.
n) 1. Par. XXI. 2.

(o) שרי הצבא *Principes exercitus*, qui poſt Regem in caſtris ſummam exercebant poteſtatem, qualis fuit ſub Saule Abner, (p) ſub Davide Joab & Amaſa. Illis ſuberant etiam שרי אלפים, שרי מאות, שרי חמשים, & שרי עשרות. (q) 6. שרי הכוהנים והלוים *Principes Sacerdotum & Levitarum*, (r) qui reliquis ſacerdotibus & Levitis junioribus præerant, & quæ in ſacris obſervanda erant, ordinabant. Hi in Nov. Teſtam. paſſim dicuntur ἀρχιερεῖς, (s) [qui tamen diſtincti fuere ab illis, qui כוהנים הגדולים *ſummi ſacerdotes* dicti ſunt, qualis uno tempore unus tantum extitit, qui κατ' ἐξοχὴν & proprie ἀρχιερεὺς fuit appellatus; adeoque ſine cauſa quidam confugiunt ad Matth. II. 4. & alios locos, contrarium ex iis probaturi, quia videlicet ibi dicantur in plur: ἀρχιερεῖς *ſummi ſacerdotes* [ut vertunt) convocati: Quis enim non videt ibidem voce ἀρχιερεῖς late ſumtâ dictos illos שרי הכוהנים intelligi. (t)] Plures equidem occurrunt in Sacris Literis, qui שרים dicti fuere, utpote שרי הטבחים *præfecti ſatellitum*; שרי הסריסים *præfecti aulicorum*; שרי המשקים *præfecti pincernarum*; שרי חאופים *præfecti piſtorum*; שרי הרכב *præfecti curruum*; שרי הרכוש *præfecti facultatum*, & qui ſunt alii; Verum nimis longum foret hos omnes pluribus enarrare, præſertim cum ſcopus noſter id adeo deſiderare non videatur: Hoc vero in loco Propheta illos omnes, præprimis quibus filii Israël in V.T. fuere gubernati, ſub voce שר comprehendit; ideoque cum eos אין שר *absq; Principe* manſuros dicit, indicat eos non ſolum carituros Monarchia, ſed & omni aliâ Regiminis forma qua aliàs in præfectis & Ducibus, tàm in captivitate Babylonicâ, quam poſt eam, in ſummis Pontificibus tempore Maccabæorum, & in Synedrio, quod ſuum habuit caput & Præſidem usque ad natum Chriſtum, erant uſi. Unde LXX. hoc loco: οὐδὲ ὄντος ἄρχοντος, & Chald. ולית דעביד שולטן על ישראל *& ſine eo qui imperium exerceat in Israëlem*: Syr. וולא שליטא [ita ob defectum typorum Syr. exprimere cogor] *& ſine Domino.*

o) Ex. xviii. 21. 25. Sigon. d. l. c. 7.

p) 1. Sam. xiv. 50.

q) Sigon. d. l. c. 10. ſeqq.

r) 1. Par. xv. 22. 2. Par. xxxvi. 14. &c.

s) Matth. II. 4. &c.

t) Quod monuit. maxime Rev. Dn. Præſes in Colleg. privat. ſuper difficil. loca N. T. ad Matth. II. 4. vide Magnif. Dn. D. Calov. Bibl. Illuſtr. ad. h. l. &c.

§. 6. ואין זבח *& absq; ſacrificio.* Vox hæc à Rad. זבח *mactavit, occidit* pecudem vel ad convivium vel ſacrificium, *ſacrificavit*, originem ducens, ut plurimum in Codice Sacro

sacrificium significat, quia in omnibus fere sacrificiis animalia quædam mactari solebant, sensu tamen vel lato vel stricto. Late sumtum (u) quævis sacrificia, tanquam species, sub se comprehendit: Omne enim sacrificium, sive fuerit עולה *holocaustum*; (vv) sive מנחה *munus* vel *libamen*; (x) sive זבח שלמים *sacrificium pacificum*; (y) sive תודה זב' *sacrificium laudis vel Eucharisticum*; (z) sive אשם & חטאת *sacrificium pro peccato & reatu*; (a) sive מלאים *impletiones*, *i.e. sacrificium consecrationis Sacerdotum*; & si quæ est alia sacrificiorum species, (b) dicitur & est זבח (c) stricte verò & κατ' ἐξοχήν, præsertim quando cum עולה *holocausto* conjungitur, illam sacrificii speciem, quæ זבחי שלמים *sacrificium pacificum* dicitur, denotat: (d) Hinc Chaldæus Paraphrast. in dictis & aliis locis illud vertit: נכסת קודשיא *sacrificium sanctorum*, quomodo aliàs זב' שלמים reddere solet, sine dubio ex sententia Rabbinorum antiquiorum, qui, teste Maimonide, (e) prout holocausta, sacrificia pro peccato & reatu, & duos agnos שלמים *pacificorum* die interdicti oblatorum, קדשי קדשים *sancta sanctorum*, i.e. *sanctissima sacrificia* vocarunt, ita reliqua זבחי שלמים, videlicet שלמים של יחיד *Pacifica pro privato*, & primogenitum, & decimas, & Pascha, קדשים קלים *sancta Levia*, i.e. *sacrificia non adeo sancta* appellarunt. Interdum tamen, quia, cum sacrificium aliquod, præprimis זב' שלמים offerebant, de carnibus illis, quæ juxta legem divinam populo comedendæ ex sacrificio oblato dabantur, convivari solebant, illud ipsum convivium dictum est זבח, (f) pro quo in Targ. nunc שירו נכסת קודשיא *convivium sacrificii sanctorum*, nunc simpliciter שירותא *convivium* positum videas. Hic vero Propheta vocem זבח in sensu latiori adhibet, indicans filios Israël cunctis sacrificiorum speciebus, atque etiam sacerdotibus ea administrantibus carituros, id quod non obscure subinnuit Chald. ולית דדבח לרעוא בירושלם *& absq; ullo qui sacrificet sacrificia accepta Hierosolymis*. Num autem per זב' falsus quoque cultus, an verò solus verus intelligatur, non equidem multis hic disceptabimus, cum res eodem recidat

u) Pf. L. 5. Psal. LI. 18. Es. LVII. 7. &c.
vv) Lev. I 3. seqq.
x) Lev. II.
y) Lev. III.
z) Lev. VII. 12. 13.
a) Lev. IV.
b) De singulis his sacrif. pluribus differit R. Mos. ben. Maim. הלכות מעשה קרבנות cap. I. seqq. Sigon. de Republ. Hebr. Lib. IV. c. I. seq.
c) Maimon. d. l. cap. I. lin. 18. 19. a. fin. fol. 462. col. 3.
d) Lev. XVII. 8. Num. XV. 3. 8.
e) d. l. Cap. I. fin. fol. 462. col. 3.
f) 1. Sam. IX. 13. cap. XVI. 3

cidat ; quanquam, si subsequentem vocem מצבה, & quo sensu ea, ut & reliquæ voces adhibentur, observaverimus, posterius videatur præferendum.

§. 7. ואין מצבה *& absq; statua.* LXX. Interpretes sine dubio pro מצבה legentes מזבח verterunt : οὐδὲ ὄντος θυσιαστηρίου, *non existente altari*, cum alibi מזבח, (g) & plur. θυσιαστήρια (h) reddere soleant. Sic Vulgat : *& sine altari.* Arab. ולא מדבחן Syr. ודלא מרבחא *& sine altari.* Luth. ohn Altar. Textus tamen Hebræus vertendum potius suadet, *absque statua.* Vox מצבה enim ex participio Hiphil radicis in Conj. Kal. inusitatæ יצב Hiphil הציב *statuit, constituit*, formata statuam, seu monumentum significat, cui respondet Chaldaicum קמא, קמתא statua, quasi à stando, unde statuo, dicta, à rad. קום stetit. Inter מצבה vero & מזבח non solum, quod ad literas attinet, sed & reipsa magnum est discrimen. Nam מצבה, ut ex collatione locorum Scripturæ patet, uno tantum lapide, (i) מזבח pluribus constabat ; (k) מצבה vel in honorem DEI, ad effundendum sive libandum in ea oleum, (l) vel in fœderis initi confirmationem, (m) vel in perpetuam perennemque mortuorum, (n) ut & rei alicujus prospero successu gestæ (o) memoriam erigebatur : מזבח autem ad offerendas in eo oblationes. Quandoquidem vero statuæ illæ postmodum, ut sunt homines ad mala procliviores, non modo à gentilibus, verum etiam ab ipsis Judæis ad cultum idololatricum abreptæ honore divino afficiebantur, hinc videas in Sacro Codice מצבה non tantum in bonam partem accipi, quando scilicet in dictis locis de statuis ob fines non culpandos erectis adhibetur ; sed & in malam partem, cum statuas in honorem idolorum erectas, vel ipsa idola super statuas collocata notat. Atque inde patet Prophetam per זבח verum, per מצבה autem falsum cultum intellexisse, id quod & testantur R. D. Kimchi: (p) אין זבח לאל ואין מצבה לעז *Nullum erit sacrificium Deo*, i.e. quod Deo offeratur, *& nulla statua, pro idolis.* R. Abr. Ab. Esra (q) אין זבח לשם ולא מצבה לבעל (r) Indicat autem Judæos, sicut veræ, ita & falsæ religionis cultu esse

g) Es. XIX. 19.
h) Hos. X. 1.
i) Gen. XXVIII. 18. Deut. XVI. 21. 2. in quem ult. loc. conf. רשי
k) Ex. XX. 25. Jos. VIII. 31. Es. XXIV. 9. &c.
l) Gen. XXVIII 18. 22.
m) Gen. XXXI 45.
n) Gen. XXXV. 19 conf. 2. Sam. XVIII. 18. & 2. Reg. XXIII. 17.
o) 1. Sam. VII. 12.
p) in h. l.
q) in h. l.
r) Add. רשי in h. l. R. Alschech מראות הצובאות in h. l. f. 101. col. 3. lin. 18. f. Walther. Harm. & Drus. in h. l.

esse privandos, quia tum temporis neq; DEO sint sacrificaturi, neque statuas erecturi.

§. 8. ואין אפוד *& sine Ephod.* Ita enim plerique Interpretes (s) vocem Hebræam retinent, dubio procul, quia commodam vocem Latinam, quæ vestimentum hoc plene describeret, non invenerunt. LXX. in Exodo & Levitico reddunt ἐπωμὶς, *superhumerale*; Aquila ἐπένδυμα, *superindumentum*. Luth. Leibrock. Tremellius & alii: *Amiculum*, quasi ab amiciendo dictum. Quæ tamen voces cum in uno saltem tertio aliquo, aliis etiam vestibus communi, de אפוד dici possint, formam ejus non exprimunt. Sic neque R. Sal. Ben. Melech (t) illud plene describit, dum dicit: על שם החגורה נקרא האפוד אפוד *propter cingulum*, i. e. quia cingulo colligatur, *dicitur Ephod Ephod.* Radix hujus vocis est אפר *Amicivit, induit, operuit, accinxit.* Fuit autē אפוד, præsertim illud, quod à solo summo Pontifice gerebatur, [fuisse enim aliud etiam אפוד postea videbimus] non vestis talaris, (u) manicis ornata; [ut putat Josephus Lib. III. Antiq. Jud. cap. 8.] sed *vestimentum extimum breve, in Lateribus scissum, & absq; manicis, constans* [non unâ plagulâ humeros tantùm & tergum tegente, (vv) sed] *duabus plagulis in humeris fibulis aureis gemmatis nexis, & inde ad dimidias nates dependentibus, quarum altera posterior tergum, altera anterior pectus & ventrem tegebat, anteriori plagulâ habente duo humeralia attexta, & in utroq; humero lapidem Sardonychen aureis fundis insitum, quibus insculpta erant XII. nomina tribuum Israëlis, quibusque appendebatur pectorale*; *& infra axillas* [ad plagulam anteriorem] *attexta duo lora* [חשב האפוד] *in utroque latere unum, quibus corpori tanquam cingulo adstringerentur plagulæ*; *cum duobus tandem annulis aureis paululum supra istud cingulum* τῦ *Ephod, quibus pectorale* τῶ *Ephod inferius annecteretur.* (x) Huic Ephod, ut jam dictum, per certos annulos & catenulas חושן המשפט *pectorale judicii*, cui imposita erant אורים ותמים, [Exod. XXVIII. 30.] ita erat conjunctum, ut ab eo separari non potuerit, vel saltem non debuerit; unde Judæi eum, qui illud etiam extra ministerium segregaret, piaculum

s) Chald. Vulg Vatabl. Ar. mont. Ribera, Drus. Grot. in h.l.

t) in מכלל יופי ad Exod. XXVIII. 8.

u) ut vult רשי in Exod. XXVIII. 8. Maimon. הלכי כלי המקדש c. 9. רלבג. in פרשת תצוה f. 108. col. 2. lin. 8, seq. f.

vv) Sic Tremell. in Ex. XXVIII. 6.

x) Quibus verbis Ephodum ex Exod. XXVIII. Abarb. in פרשת תצוה f. 198. col. 3, & 4. Kimch. in t. Par.

XV. 28. Maimon. d. l. & aliis Judd. describit Joh. Braun. Lib. II. de Vestit. Sacerd. c. 6. §. 16. p. 599. conf. Ar. Mont. Aaronem, sive descript. sanctor. vestim.

culum committere, & XL. plagis dignum judicarunt.(y) Quare ubicunque erat Ephod, ibi ipsi conjunctum erat pectorale cum אורים ותמים, & quando vestiebatur sacerdos שם Ephod, simul vestiebatur pectorali. Hinc, cum Moses unum saltem hujusmodi Ephod confici curaverit, unusque tantum Sacerdos summus fuerit, dubium hic à nonnullis moveri solet, quomodo cum asserto hoc, quod unum tantum fuerit Ephod, conciliari possint loca 1.Sam.xxiii.6.9.seq. [conf.cap.30.7.seq.] ubi David per Ephod, i.e. per שם אורים ותמים Ephod cum pectorali conjuncta DEUM consuluerit, & 1.Sam. XXVIII. 6. ubi Sauli DEUS non respondisse dicitur per אורים, ex quibus locis appareat, duo, alterum apud Davidem, alterum apud Saulem fuisse Ephod. Verum tolletur dubium hoc, si observabitur, Ephod illud, quod Ebjathar, interfecto à Saule Abimelecho Patre suo, summo Pontifice, aufugiens ad Davidem attulerat, fuisse verum Ephod à Mose confectum, ideoque nullum tum temporis penes Saulem remansisse Ephod, aut Sacerdotem summum; & propterea de Saule dici, quod DEUS ei per אורים non responderit, quia, cum ea non adessent, [z] vel quærere DEUM per ea non potuit, (a) vel ea de causa ad Ebjatharem *mittens nullum* responsum accepit: (b) Nisi dicere malis, Saulem loco veri Ephod aliud ad imitationem ejus substituisse, aliumque contra mandatum DEI surrogasse summum Sacerdotem; Ideoque, cum cultus ille fuerit illegitimus, DEUM ei interroganti respondere noluisse. Præter hoc summi Pontificis Ephod, alterius etiam Ephod mentio in Sacro Codice occurrit, quod à dicto Ephod non modo materia; (quia illud Pontificis ex auro, hyacinthino, purpura, coccino & bysso retorta; hoc vero ex lino confectum, ideoque אפוד בד *Ephod lineum* dictum fuit] verum etiam formâ proculdubio differebat: Non enim legimus illud habuisse talia humeralia, cingulum, pectorale, & quæ sunt hujusmodi. Hoc אפוד בד non tàm honoris causa, (c) quàm ut à reliquo populo discerni possent in faciendis sacris, non modo sacerdotes & Levitæ, sed & qui ex aliis tribubus DEO serviebant, usi leguntur: (d) David enim dicto loco 2.Sam. VI. 14. ante arcam Domini præ-

y) Gemar. מסכת יומא cap. 7. conf. Maimon. d.l. c. 9.

z) Kimch in 1.Sam. xxviii.6.

a) Trem. in 1.Sam. xxviii.6.

b) Kimch. d.l.

c) ut vult Kimch. in 2. Sam. VI. 14. conf. ipsum & רלב"ג in 1.Sam. xxii. 18.

d) Kimch. in 1.Sam. II. 18.

ni præcedens לא היה לובש כדרך המלכים אלא אפוד בד כאחר הכוהנים המשרתים לפני הארון *Non erat indutus more Regum, ſed Ephod lineo, tanquam aliquis ex ſacerdotibus coram arcâ miniſtrantibus.* Tali Ephod lineo induti quoque dicuntur Samuel, puer etiam tum DEO ſerviens, (e) & Sacerdotes 85. à Saule interfecti. (f) Denique Gideonem quoque (g) in victoriæ à Midianitis partæ monimentum (h) ex monilibus aureis à populo Israëlitico ſibi datis, & Micham ex pecuniâ à matre ſibi relictâ Ephod feciſſe legimus; (i) Quod quale, ex quâ materiâ, & quâ formâ confectum fuerit, in locis allegatis equidem non indicatur, hoc tamen ex textu apparet, fuiſſe, licet forte ad imitationem veri Ephod, contra legem divinam paratum, quoniam erat idololatricum: Quanquam enim ſuum illud Gideon, non malum, ut ipſi ſine dubio videbatur, in finem confici curaverat, poſtmodum tamen vel vivo etiamnum ipſo, vel poſt mortem ejus idololatriæ cauſam Iſraëlitis præbuit, non ſine ingenti, quod ipſi & familiæ ejus inde imputatum eſt, peccato. Quandoquidem vero Ephod Moſis cum adjuncto ſibi pectorali, ut vidimus, veſtimentorum ſacerdotalium facile præſtantiſſimum, reliqua omnia pretio & ornatu longe ſuperans, adeoque ſummi Pontificis nota erat; hinc Hoſeas per illud in Prophetia hac Synecdochice non ſolum ipſum Ephod, ſed & reliquas veſtes ſacras, imo ipſum Sacerdotem ſummum, cui ſoli Ephod geſtare conveniebat, atque ita totum ſacerdotium, quod ipſis defuturum dicit, intelligit. Quo ſenſu etiam LXX. οὐδὲ ἱερατείας *ſine ſacerdotio*; Syr. ולא לבש אפודא *& ſine induente Ephod*; Arab. ולא כהנותן *& ſine ſacerdotio* vertunt.

e) 1. Sam. II. 18.
f) 1. Sam. XXII. 8.
g) Jud. VIII. 27.
h) רש"י, Kimch. רלב"ג, Trem. & Al. in d. l.
i) Jud. XVII, 5

§. 9. ותרפים *& ſine Theraphim.* Vox hæc pluralis num. tantum (ſingularis enim תרף *imago*, quem faciunt Schindl. in Lex. Pentagl. & Avenarius in Lexic. neque in Scriptura S. neque apud alios ſcriptores Hebr. reperitur,) formatione quidem Hebræa, at origine Syriaca eſt: Oritur enim, non ex Hebr. רפא *ſanavit*, quod morbos profligaverint; neque ex רפה *remiſſus fuit*; neque ex תירף v. תורפא *turpitudo*; neq; ex שרפים Angelorum nomine, ש mutato in ת; neq; ex סְפָה ciſta.

&

& ἀπ, quod Ægyptiace *bovem* notat, ש itidem in ת mutato, qs. fuerint idem quod *Serapides* Ægyptiorum; neque ex Arab. תרף bonis commodisque vitæ affluxit; sed ex rad: Syriaca תרף *percontatus est, inquisivit*, unde, si in usu esset, fieret sing. absolut. תרף, Emph. תרפא, plur. absol. תרפין, hinc assumta forma Hebræa est תרפים, prout à מלך dico מלך *Rex*, & plur. מלכים. Dictæ n. ita idololatricæ imagines sunt, quia responsa percontantibus dederunt, vel signo vel verbo; (quare etiã Chald. per מחוי *indicans, responsum dans*, vertit) neq; à veritate alienũ videtur, Syr. Idolum nomen habuisse Syriacum. (k) Quid תרפים fuerint, eâ de re variæ doctorum tàm Christianorum quàm Judæorum exstant opiniones, quas omnes si hic enarrare, aut minus congruas corrigere allaborarem, non sine causa post Homerum [quod ajunt] Iliada canturus videri possem, adeoque tantò minùs id lecturis acceptum foret, quantò pluribus illud jam dudum à viris summis factum constat. (l) Hoc saltem, quod ex Scriptura S. de eis hauriri potest, & veriti maxime videtur consentaneum, indicabo. Ex Scripturæ itaque evolutione & collatione patet, quod תרפים fuerint *imagines idololatricæ* (id quod non inde tantum apparet, quod Laban eas vocat DEOS, Gen. XXXI. 30. & v. 52. discrimen facit inter DEUM Abrahami, & DEUM Nachoris, qui alienus fuit; (m) verum etiam exinde, quia conjunguntur cum קסם, גלולים, שקוצים, ידעונים, aliisque abominationibus idololatricis (n)] *domesticæ sive lares*, [dicuntur enim Gen. XXXI. 19. תרפים Labanis, & ipse Laban v. 30. eas vocat DEOS suos, sic Micha Jud. XVII. 5. proprias suas תרפים proprium que sacellum habuit. conf. Lex. Buxt. Talm. col. 2660. & Trem. in Gen. XXXI. 19.] *formâ humanâ*, (o) [licet aliâ etiam formâ esse potuisse non negetur] *ex materiis diversis*, argento, [Jud. XVII. 14.] auro, vel aliis *fabricatæ, quæ de rebus dubiis & futuris consultæ, arte diabolicâ responsa petentibus dedere.* (p) Ex jam dictis apparet, hoc quoque in loco per תרפים imagines hujus-

k] vide Ampl. Dn. D. Pfeiffer. Dub. vex. Cent. I. loc. 60. q. 1. conf. ejusdem Exercit. de תרפים § 2-7. Celeberr. Dn. D. Edm. Castell. Lex. Polygl. ad תרף. Beier. addit. ad Selden. de Diis Syr. c. 2. Synt. 1. p. m. 188. seq. &c.

l] Athan. Kirch. Oedip. Ægypt. Tom. I. Synt. IV. cap. 3. D. Pfeiff. d. l. Selden. de Diis Syris Synt. I. c. 2. p. 69. seq. Bejer. d. l. consul. præterea commentatores in Gen. XXXI, 19.

m) Jos. XXIV, 2. n) 1. Sam. XV. 23. 2. Reg. XXIII. 24. Es. XXI. 21. (al. 26.) Zach. X. 2. o) 1. Sam. XIX. 13. seq. conf. רשי, Kimch, רלבג in h. l. Ab. Esr. in Gen. XXXI. 19. p) Jud. XVIII, 5. conf. Kimch in h. l. Ezek. XXI. 21, (al. 26.) Zach. X. 2.

hujusmodi idololatricas, & ita idololatriam quamcunque intelligi. Cui accedit intentio Prophetæ, qui versu tertio cum scorto convenerat, *ut neq; fornicaretur neq; viro alicui nuberet*; cujus rei antitypum versu quarto clarius demonstrat, filiosque Israëlis & vero DEI, & falso idolorum cultu privatos, neque uxores neque meretrices fore dicit: Prout itaque in præcedentibus זבח & מצבה sibi opposuerat, per illud verum, per hoc falsum cultum intelligens; sic hoc commate בכפל הענין במלות שונות *per duplicationem sensus in vocibus diversis*, prout ab Hebræis appellatur, i.e. sensum eundem vocibus & phrasibus diversis explicans, per אפוד verum, per תרפים falsum cultum intelligit. Id quod & assensu suo comprobant non modo ex Judæis; [Ab. Esr.in.h.l. אין אפוד השם ואין תרפים

q) Sic Kimch. רשי, R. Alscheh, מראות הצובאות ad h.l. Abarb. ad h.l. &c.

לעז Erunt *sine Ephod DEI, & sine Theraphim idolorum.* (q)] sed & ex Christianis quamplurimi. Non ergo cum Hieronymo in h.l. de Cherubinis aliisque templi ornamentis vocem תרפים hic accipiendam esse dixerim, quanquam eo etiam inclinare videantur Grotius, & Walther.harm.h. l. & alii: Nullus enim Scripturæ Locus produci potest, ubi תרפים pro Cherubinis ornamentisque Templi adhibeatur. Neque etiam, ut vult Joh. Spencerus Anglus, (r) per תרפים hoc loco τὰ אורים ותמים intelligi possunt, (quod forte etiam intenderunt LXX. δῆλοι, *& sine manifestationibus, sive revelationibus*; & Aq. per φωτισμοὺς, *illuminationes* vertentes; quandoquidem aliàs τὰ אורים ותמים illi per δήλωσις, (s) & δήλωσιν καὶ ἀλήθειαν *manifestationem & veritatem*, (t) hic per φωτισμὸς καὶ τελειώσεις *illuminationes & perfectiones* (u) reddunt.] Prout enim hypothesis illa, cui sententia hæc innititur, videl. אורים ותמים fuisse duas imagunculas diversas, quarū altera אורים, altera תמים dicta fuerit, nullo satis firmo argumento probata hactenus est, neque probari poterit; ita neq; hoc potest probari, אורים & תמים ullo in loco תרפים dici. Ideoque nihil quicquam subsidii ex eo peti potest, quod h.l. תרפים cum אפוד conjungitur: Eodem enim modo Jud. XVII. ς. illa conjunguntur, neque tamen ibi per Theraphim τὰ אורים ותמים intelligi quis dixerit. Imo sub

r) Dissert. de אורים & תמים

s) 1. Sam. XXVIII. 6.

t) Ex. XXVIII. 30.

u) Ex. XXVIII. 30.

ſub Ephod ſimul quoque Pectorale cum Urim & Thummim, quod, ut vidimus, תְּפֹד Ephod conjunctum erat, comprehenditur, ita ut non opus fuerit Prophetæ ea demum per Theraphim exponere. (w) Quid moverit Syr. ut ובלא בסמא *& ſine adolente aromata*, Arab. ut ולא מרשדן *& ſine docente*, ſ. *in rectam viam dirigente*, & Luth. ut ohne Heiligthum verteret, non video.

vv] vid. præter jam dictos Braun. Lib. II. de veſtitu Sacerd. c. 20. p. 756. ſeqq.

Verſ. 5.

§. 10. אחר *Poſtea.* Particula hæc, pro ratione additi vel nominis vel verbi, nunc præpoſitio, nunc adverbium eſt, variasque admittit ſignificationes, de quibus, cum prolixius hic enarrari non poſſint, conſulantur *Celeberr. Dn. D. Noldii Concord. Partic. p. 10. ſeq.* Hic, cum verbo additum ſit, adverbium temporis eſt, ac idem valet, quod אחרי זאת ,אחר כן *Poſthæc, Poſtea.* (x) adeoque oſtendit, quod in ſequentibus prædicitur, non eſſe futurum, niſi id quod præcedit, nempe ימים רבים *tempus illud longinquum* prius ſit impletum. Poſteaquam ſcilicet diu in ſtatu deſcripto Judæi vixerint, Rege, Principe, ſacrificiis, ſtatuis, Ephod, & Theraphim privati.

x) Sic Geneſ. XXII. 13. Exod. V. 1. Lev. XIV. 8. &c.

§. 11. ישבו *redibunt.* Radix שוב proprie ſignificat ex loco aliquo *redire* in locum, unde quis antea diſceſſerat: Sic Abrahamus poſt habitum cum Deo colloquium שב *rediit in locum ſuum*, ad planitiem mamre, ex qua paulo ante exierat. (y) Hinc de ira adhibita, *idem eſt, quod ſedari, cohiberi*, utpote ubi animus iratus redit ad ſtatum tranquillum; ſic quandocunque Deus ob peccata hominum iratus, poſt actam ab eis pœnitentiam reconciliatur, dicitur: שב אפו *reverſa*, i. e. *ſedata eſt ira ejus.* (z) &, quando nondum eſt reconciliatus, לא שב אפו *non reverſa*, i. e. *ſedata eſt ira ejus.* (a) Interdum etiam, ut alia prætermittam, de converſione à peccatis ad DEUM uſurpatur. Quemadmodum enim, qui contra DEUM ejusque mandata peccat, à verâ viâ diſcedere & DEUM relinquere dicitur; ſic, qui relictis peccatorum aviis ſeriam agit pœnitentiam, eoque ipſo in viam redit, dicitur שוב *reverti, converti.* Sic Deus averſum à ſe populum Iſraëliticū per Prophetam ad pœnitentiam vocaturus, dicit: שובה משבה ישראל *Revertere*, i. e. pœnitentiam age *O averſa* [*Eccleſia*] *Iſraelitica*, (b) & Jer. XXXI. 18. 19. po-

y] Gen. XVIII. 33. add. c. XV. 16. 1. Reg. XXIII 17. &c.

z] Jer. II. 35 Hoſ. XIV. 5

a] Eſ. V. 25. c. IX. 11. 16. 20

b] Jer. III. 12

pulus

pulus Ephraimiticus introducitur orans: השבני ואשובה *converte me ut convertar!* (c) Hinc Judæis consueta vox תשובה, qua *pœnitentiam* & *conversionem* denotant, cui opponitur משובה, quæ in sacris literis non nisi לגנאי *in malam partem* [prout à Judæis (d) appellatur] adhibita *aversionem* significat. (e) Atque ultima hæc significatio hic in voce ישבו quoque locum habet, id quod ad quæst. 1. clarius demonstrabitur.

c) add. Es. VI. 10. Jer. XV. 19 Hos. XII. 7 &c

d) Kimch. & רשׁ in Hos. XI 7. &c. conf. Kimch. in ספר שרשים sub R. שוב

e) Jer. VIII. 5 Hos. XI 7. c. XIV. 5 Prov I. 31 &c

§. 12. בני ישראל *filii Israel.* Quæ hic monenda essent, ea ex præcedenti versu, §. 3. repeti possunt, ubi eædem voces pluribus sunt expositæ: Non verò hic per בני ישראל Israëlitæ κατὰ πνεῦμα *secundum spiritum*, (f) sed iidem, qui versu præcedente, Israëlitæ κατὰ σάρκα *secundum carnem* in genere intelliguntur. Quia quæ Propheta de eodem subjecto prædicat, ea in aliud non sunt transferenda. Quin nemo potest dici filius Israël secundum Spiritum, i.e. *vere fidelis*, ante conversionem, quamdiu in peccatis vivit; At de quibus Hoseas hic agit, dicuntur filii Israël ante conversionem: Debent enim converti & quærere Deum, & Messiam, quem antea rejecerant. Ergo hi non possunt esse filii Israel secundum Spiritum; licet non negem, eos post conversionem Israelitis spiritualibus, i.e. vere fidelibus debere annumerari.

f) quod vult Grossch. Diatr. de Cathol. Jud. convers. p. 54

§. 13. ובקשו *& quærent.* Radicis בקש genuina & perpetua significatio est *quæsivit, requisivit*, quod & in concordantiis suis monet Buxtorfius, dicens: בקש כל ענין בקשה i. e. *Omnia, quæ ex verbo* בקש *derivantur, quæstionem sive quærere significant.* Quanquam pro diversis, quibus adjungitur, objectis diversam quoque quæstionem, nunc intensiorem, nunc remissiorem, nunc licitam, nunc illicitam denotet. Sic interdum insidiari, sive cum insidiis quærere, (g) interdum ad vindictam, ut ulciscamur, quærere; (h) interdum, cum pro objecto Deum habet, vel consulere eum, (i) vel, ut hoc quoque loco, quærere ut gratiosum inveniamus, seque ad ipsum convertere (k) significat. De quibus plura non addo, cum cuivis textum sacrum evolventi passim obviam sint.

g) 2. Sam. IV. 8. c. XVI. 11. &c.

h) Jos. XXII. 23. &c.

i) Ex. XXIII. 7.

1. Sam. XXI. 1.

k) 1. Par. XVI. 10. Hos. V. 6.

§. 14. את יהוה *Dominum.* Ita enim in Ecclesia Christiana ab interpretibus Lat. versum fuit usque ad Petrum Galatinum, qui

qui primus creditur ſcripſiſſe *Jehova*, & *Jehovi*, quem ſecutus poſtmodum eſt Fagius, Cajetanus, Tremellius & alii. † Factum hoc procul dubio inde, quòd Judæi nomen יהוה majori in reverentiâ habentes, quam reliqua Dei nomina, quæ partim ab effectis, partim ab attributis ejus petita ſunt, primò pio quodam ſtudio ab eo ſæpiùs pronunciando abſtinuerunt, ne, ſi ſemper in ore plebis eſſet, quotidiano uſu vileſceret, poſtmodum autem reverentiâ in ſuperſtitionem versâ plebi ſub pœnâ mortis nominis hujus pronunciationem interdixerunt; imo eum qui id juxta literas ſuas pronunciaret, partem in ſeculo futuro habere negant, (l) ideoque ſemper pro eo legerunt אדני. [Tempore tamen Meſſiæ liberam rurſus ejus pronunciationem fore ſtatuunt: יקרא אז בפי הכל ככתיבתו *Pronunciabitur tunc ore omnium prout ſcribitur* יהוה, *Ab. Eſr. in Hoſ. XIV. 9.*] Sic LXX. ante natum Chriſtum verterunt κύριος. Syrus reddit מריא, Arab. אלרב, Luth. HErr. &c. Eſt vero יהוה *nomen eſſentiale Dei*, & quidem *ei uni ſoli proprium*, quod nullis aliis creaturis tribuitur, יהוה בשם אל ואלהים הוא משתתף אבל בזה השם משתתף אינו, *nomen* אל & אלהים *communicat cum illis*, [Angelis] *verum hoc nomen* יהוה *non communicat.* (m) ad quod probandum varias hic rationes afferrem, niſi eæ & commodiùs & pleniùs ex Theologorum noſtrorum ſcriptis legi poſſent. (n) Deducitur autem nomen hoc, Deo ipſo revelante [Ex III. v. 14.] non ex הוה *ærumna, pernicies*; (o) ſed ex היה, quod idem eſt cum היה *fuit*, & literâ nominum propriorum formativâ Jod, prout ex צחק fit יצחק, &c. Non male tamen à nonnullis per alluſionem quandam in nomine hoc & Præteriti, & Præſentis, & futuri nota apparere dicitur, ut וה indicet Præteritum הוה *fuit*; Cholem הו, Part. præſens הוה *qui eſt*, Jod futurum יהוה *erit*: Quod optime quadraret cum expoſitione Johannis: (p) ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος. *Qui eſt, qui erat, & qui futurus eſt.* Eodem modo paraphraſtice redditur in שמות רבא: (q) אני שהייתי ואני הוא עכשיו ואני הוא לעתיד לבוא *Ego qui fui, & ego idem nunc, & ego idem in futurum.* (r) Quæſtionem, quæ hic moveri poſſet, *Utrum puncta quæ ſub* יהוה *hodie habentur ei ſint propria*, an vero aliunde, nunc ab אדני, nunc ab אלהים mutuata,

†] Druſ. tetragr. c. 12. init. conf. ejusd. addit. ad d. cap.

l] Talm. tr. סנהדרין c. 11 f. 90. 1. contra quam ſuperſtit. v. Gerh. Exeg. Loc. II. §. 24. D. Pfeiff. Dub. Vex. Cent. II. Loc. 13.

m) Kimch. in Hoſ. XII. 5.

n) vid. Gerh. Exeg. Loc. II. §. 28. ſeq. Dn. D. Calov. Syſt. Th. T. II c. II. Sect. 2. q. 6. & 6.

o) ut vult Hier. ab Oleaſtro.

p) Apoc. I. 4.

q) Ex III. Paraſch. 3.

r) conf. Targ. Jon. in Ex. III 14. R. Bechai in Exod. f. סה c. 4.

s) in tetagr. cap. 12. seq.
ta, brevitas, cui studendum est, decidi jam â me non patitur. Posterius argumentis variis, præsertim ex Grammaticâ petitis defendit Drusius, (s) Buxtorfius, (t) & alii. Prius vero præferendum docet Gerhardus, (u) Calovius, (w) & alii. Quilibet, quod veritati maximè videtur consentaneum, eligat.

§. 15. אלהיהם *Deum suum.* אלהים à sing. אלה, non ex אל *fortis*, sive *Deus fortis*, neque ex אלא *juravit*, neque ex אל & אלה, neque ex איל *fortitudo*; sed ex radice apud Hebr. jam inusitatâ, apud Arab. vero superstite, אלה *coluit, adoravit*, ortum, eum *qui adorandus est* significat, estque *nomen Dei personale*, seu personas notans, quod suâ naturâ & significatione propriâ non tantum in singulari, sed & in plurali numero soli Deo proprium est. (x) Impropriè verò atque μιμητικῶς de idolis, cum opinione idololatrarum pro אלהים reputentur, (y) & de Angelis, (z) & de hominibus in dignitate ac honore eminentibus (a) usurpatur. [vid. *Dn. D. Calov. Syst. Theol. Tom. II. c. 2 p. 123. Gerh. Exeg. Loc. II. §. 10. Buxt. Lex. Bibl. & Schind. lex. Pentagl.* sub R. אלה &c.] Plura equidem circa אלהים moneri possent, quod scil. semper non terminatione tantum, sed & significatione plurale sit; quodque ex eo Personarum Pluralitas in divinis probari *possit*, & quæ sunt alia. *Sed ea hîc non est* enarrandi locus, quia adeo ad scopum meum pertinere non videntur. Consulantur potius de iisdem *Gerh. d. l. §. 52. 53. Calov. d. l. qu. 7. p. 167. seqq. Kromaj. Theol. Pos. Polem. Art. II. Thes. 3. p. 109. seq.* &c.

x) 2. Par. XXXIII. 13 Ps. XLVI. 11. Deut. IV. 35
y) Ex. XII. 12 c. XXIII. 24 &c.
z) Ps. VIII. 6. [conf. Hebr. II. 4]
a) Ex. XXI. 6. c. XXII. 8.

§. 16. וארז דוד מלכם *& Davidem Regem suum.* Quis David fuerit notum esse ex Hist. Sacra duco. Cum vero prophetante Hoseâ, nedum tempore illo, quo Prophetia hæc implenda est, David dudum è vita abierit, indubium cuivis esse potest, hic *non intelligi Davidem ipsum*, (b) quicquid etiam Judæi de eo in resurrectione mortuorum resuscitâdo fabulentur. (c) *Neq;* etiam intelligitur *Rex aliquis terrenus è familia Davidis* oriundus: (d) quia Script. S. nullum unquam Regem aut Principem temporalem, è semine Davidis natum, Davidem, licet interdum ei similem, [2. Reg. XVIII. 3. c. XXII. 2. &c.] appellat. Præterea, licet non negaverim, totam unius gentis collectionem interdum primi autoris nomine appellari, prout *Israël*, uni-

b) Sic Judd. tr. Sanhedr. c. 23. citant. Kimch. & רש"י in h. l.
c) Kimch. in Jer. XXX. 9 conf. in Ezek. XXXVII. 24.
d) ut vult Abarb. in Hos. III. f. 57 col. 2 l. in. 19. seq.

universus populus ex Israele ortus; Juda, universa tribus ex Juda propagata; Benjamin, tribus, quæ Benjaminem autorem habet, &c. sæpius in sacro codice dicitur; Unus tamen homo non solet nomine Patris vel Avi sui appellari: Quando enim unquam Isaacus aut Jacob aut David vocantur Abraham? Quando Salomo, Rehabeam, & alius quis ex Davide oriundus dicitur David? Ideoque *nec Zorobabel* David ille est; (e) cum 1. Zorobabel nullibi dicatur David, neque 2. Rex dici possit, qui tantum פחה *dux* fuit, (f) [cum notanter hoc loco שר & מלך sibi contradistinguantur] neque 3. de liberatione ex Captiv. Babyl. hic agatur; quod tum ex jam dictis patet, tum in sequentibus ulterius probabitur: Sed ipse *Messias filius Davidis* intelligitur: id quod probatur 1. *Ex loci hujus consideratione.* Cum enim, ut dictum, hoc loco de spirituali reditu ad Deum agatur, necessario etiam id, quod de Davide Rege dicitur, spiritualiter est intelligendum. 2. *Ex aliorum locorum collatione*, in quibus itidem Messias, non tàm quia ex semine Davidis nasci debebat, quàm quia David egregius ejus typus fuit, dicitur David. (g) 3. *Ex consensu* non solum Christianorum; [*Hieron. Munster. Tarnov. Hacksp. Walther. Harm. D.D. Calov. in h.l.* &c. add. *Galat. lib. III. de arcan. C.V. c. 23.*] sed & adversariorum nostrorum Judæorum. (h)

e] Jut vule Theophyl. & Grotius in h.l. & alii.

f] Hagg. I. 1

g] Jer. XXX, 9. Ezek. XXXIV, 23 24. c. XXXVII. 24. 25. conf. Es. LV. 3. Am IX. 11. Act. XV. 16 17.

h] Targ. h.l. Ab. Esr. in h.l. R. Alschech. in Hos. III. c. 37. 24. Ab. seqq. &c.

f. 101. col. 4. lin. 28. conf. Targ. in Jer. 30. 9. Kimch. in Jer. 30. 9. Ezek. 34. 23. Esr. in præf. Psal. lin. 6 f. R. Alschech in Es. 52. 13 f. 47. col. 4. lin. 6,

§. 17. ופחדו *& pavebunt*, i.e. trepidi accurrent, vel accedent. Nam R. פחד quidem simplicem tantum communiter significationem habet: *timuit, expavit*, &c. Attamen hîc, ex idiotismo Linguæ Hebr. quo *interdum brevitatis causa unum verbum pro duobus ponitur*, [Glass. Phil. S. Lib. III. Tr. III. can. 2. p. 229.] duplicem significationem accipit, estque dicto modo vertendum: *Pavidi accurrent, vel accedẽt.* Sic Hos. XI. 11. legitur: יחרדו כצפור ממצרים *trepidabunt*, i.e. trepidè accurrent *ut avis ex Ægypto.* Ps. XLII. 2. *sicut cervus* תערג על אפיקי מים *glocitat*, i.e. glocitans accurrit *ad alveos aquarum*, &c. Indicatur ergo his verbis ופחדו אל ה׳ timor filialis, quo filii Israëlis Deum suum & Messiam à se quæsitum & tandem inventum reverebuntur.

tur. Targ. reddit: ויתנהון לפולחנא דיי & *congregabuntur* [ita enim meliùs videtur verti, quàm in Bibl. Polygl. & *ſtudebunt* (i)] *ſive accedent ad cultum Dei.* Syr. וירעון למריא & *agnoſcent Dominum.* Arab. ויעטרפון באלרב & *confitebuntur Dominum.* Luth. und werden den HErrn ehren.

i) vid. Bux. L. T. & Kimchi in ספ' שרשים sub נהה, in f.

§. 18. אל יהוה *ad Dominum.* Videantur ea, quæ ſupra ad vocem יהוה §. 14. dicta ſunt.

§. 19. ואל טובו & *ad bonitatem ejus.* Per vocem hanc, cujus rad. eſt טוב *bonus fuit*, hic non tam Dei gloria, (k) quàm ejus *bonitas eſſentialis intelligitur*, quæ gratiam, miſericordiam, amorem & dilectionem ſub ſe comprehendens in eo maxime illuxit, quod Meſſiam Filium ſuum unigenitum omnibus hominibus Redemtorem & Salvatorem dedit. Quod ſi de beneficiis ex bonitate Dei in homines proficiſcentibus id acceperis, inter quæ eminet miſſio Meſſiæ, (l) res eodem recidet. Vana verò & inconveniens eſt דרש *Expoſitio allegorica*, quam Judæorum Rabbini (m) hic afferunt, per טובו intelligentes templum Dei, quod filii Iſraël, cum tempore Rehab: à tribu Juda ſe ſegregantes id contemſerint, ſiquidem ſalutis per Meſſiam parandæ participes fieri velint, debeant requirere: Nullibi enim templum dicitur יהוה טוב. Erronea quoq; *eſt ſententia* R. Alſchech, (n) qui טובו dicit eſſe Moſen; quia itidem nullus poterit oſtendi Script. locus, in quo Moſes יהוה טוב *bonitas Domini* vocetur.

k) quod ex Ex. XXXIII. putat R. Saad. Gaon.

l) cum LXX. interp. Chald. Arab. & Riber. in h. l.

m) Talm. tr. סנהדרין citant. רד"ק & רש"י in h. l.

n] in מראות הצובאות ad Hoſ. III. f. קא col. 4. lin. 36. ſeq.

§. 20. באחרית הימים *In poſtremitate ſ. fine dierum*, vel *ultimis temporibus.* אחרית proprie *poſtremitatem, extremum, finem* rei alicujus ſignificat, à Rad. אחר *poſt, poſtea.* Sic Eccleſ. VII. 8. *melior eſſe dicitur* אחרית דבר *finis alicujus rei, quàm principium ejus*, & Eſ. XLVI. 10. *Deus indicat à Principio* אחרית *finem.* Quam ſignificationem ſuam in hac quoque formula באחרית הימים retinet: Quæ tamen ex uſu Scripturæ *non ſemper finem mundi* denotat, ut volunt Judæi, præſertim recentiores, qui etiam inde (o) Meſſiam in fine mundi venturum credunt; *neq; tempus illud, quod fuit à tempore Cyri* Regis, qui Judæos è captivitate Babyl. dimiſit, usque ad excidium templi ſecundi à Romanis factum, ut vult Galatinus, (p) *neq;* ſimpliciter quodcunque tempus futurum, ut idem ſit, quòd *poſtea*; (q) *neq; ſemper*

o] teſtant. Galat. de Arcan. C. V. Lib. V. c. 1. & 2. & Tarnov. in Mich. IV. 1.

p) d. l. cap. 2

q) Sic Grot. in Eſ. II. 2. Hoſ. III. 5 &c.

per primum Christi adventum, initiumque Novi Testamenti, seu gratiæ, prout existimare videntur. D. Pappus, (r) Grossehain, (s) & alii. Sed *totum illud tempus*, quod inde *à nato Christo* incipiens, *usq; ad mundi finem* durat, quod ultimum dicitur respectu promissionum Evangelicarum de Messiâ in mundum mittendo in Vet. Test. datarum; quia eæ in Novo Testamento impletæ omnes sunt, & ita nil nisi secundus ejus adventus exspectandus supereſt. [Interim tamen non potest nec debet negari, esse etiamnum quædam vaticinia, quæ ad Messiæ exhibitionem non pertinent, nondum impleta, ante consummationem seculi implenda; ad quæ non immerito hoc de insigni Judæorum conversione referimus.] Eodem modo à Novi Test. scriptoribus id ipsum tempus τὰ τέλη τῶν αἰώνων *fines seculorum*, (s) ἐσχάτη ἡμέρα *ultimi dies*, (t) & ἐσχάτη ὥρα *ultima hora* (u) dicitur. Hoc sensu itaque etiam hîc tempus Novi Test. exprimit: Utrum vero initium ejus, an vero medium vel finis intelligat Hoseas, ex toto contextu erit colligendum. Nihil autem aliud hic אחרית הימים significare, quam *postea*, sive *in post venturis temporibus* non fit verisimile, cum jam in principio versus quinti vox אחר posita sit, adeoque minus fuisset necessarium in fine versus formulam talem addere, quæ idem quod antecedens significaret. Neque Emphasis causa id factum esse, dicere quis poterit: Quæ enim hæc esset Emphasis: *Postea revertentur*, &c. *postea*, *s. in post venturis temporibus*?

r) in Hos. 3, 5.
s) de cathol. Jud. Conversi. p. 53

§. 21. *Sensus* itaque *dicti hujus Prophetici* integer hic est: Quod filii Israël, ob varia & enormia peccata, ingratitudinem, idololatriam, &c. tempus longinquum mansuri sint absque omni tam Reipublicæ quam Ecclesiæ forma, Rege & Principe legitimo, sacrificiis, templo, sacerdotio, atque etiam idolis orbati, neque verum Deum, neque idola colentes; postmodum vero, ubi diu ita deserti & exules vixerint, Deum verum & Messiam à se spretum quærentes, pœnitentiâ actâ fidem veram apprehensuri, & quidem in ultimis temporibus, durantibus etiam tunc diebus Messiæ. Absoluta jam Exegesi, ad quæstiones ipsas discutiendas me accingo.

s] 1. Cor. X, 11
t] Heb. I. 1
u] 1. Joh. II, 18

QUÆ-

QUÆSTIO I.

Vtrum in loco hoc agatur de Iudæorum corporali in terram Canaan reversione, an vero de reversione spirituali ad Ecclesiam Christi, seu conversione?

§. 1.

PRius statuunt 1. *Judæi*, qui, cum certo sibi persuadeant, fore, ut tempore Messiæ ex hodierno exilio in terram Canaan reducantur, multosque eum in finem Scripturæ locos, quibus se consolentur, adducant, hoc quoque vaticinium eo trahunt. R. Abr. Ab. Esra (w) sic dicit: ופחדו אל ה' ,שישובו במהרה בבא הקץ אל ארצם במרוצה פתע פתאום כדרך יחרדו כצפור ממצרים ששם כתוב והושבתים על בתיהם נאם ה' i.e. Per ופחדו אל ה' indicatur, *quod* filii Israël, *cum finis advenerit, in terram suam festinanter reversuri sint cursu maximè repentino, prout* Hos. XI. 11. *dicitur*: Trepidè accurrent tanquam aves ex Ægypto, *ubi etiam scribitur*: & collocabo eos in domibus suis, inquit Dominus. Citat quoque locum hunc inter consolationes propheticas, quibus Judæi in captivitate hac se erigere debeant, R. Mos. ben Isaschar Levitæ, (x) his verbis: ועוד שאמר באחרית הימים שהוא מורה על אריכ' הגלות הזה אשר אנחנו יושבים בקרבו זה ימים רבים בלא זבח ומנחה ובלא מלך עד אשר נבקש את ה' בכל לבבינו באחרית הימים i.e. *Porro quod dicit* לא ברוך מצות אנשים *indicat longitudinem hujus exilii, in quo nos hodie multis jam diebus sedemus absq; sacrificio & oblatione, & absque Rege, donec ex toto corde nostro & non præceptis hominum Deum quæramus.* Unde apparet & illum loci hujus versum priorem de exilio hodierno, [quod quidem non male] posteriorem verò de felicitate & reversione corporali exponere, in qua ea omnia, sacrificium, oblationem, Regem, &c. quibus jam carent, sint recepturi; licet conditionem hanc ponat, si ex toto corde Deum quæsierint:

vv) comm. h. l.

x] in Lex Bibl. Hebr. Germ. לקח טוב post Proph. min.

rint : Et qui sunt alii, quos singulos hic citare nimis longum foret. Ex modernis Judæis nullum, aut certè paucos reperias, qui non insigne ex hoc loco, pro reversione suâ in terram Canaan, & restitutione regni Davidici temporalis, argumentum petat.

§. 2. 2. Eadem cum Judæis somnia somniantes *Chiliastæ*, qui ad probandas has nugas, præter alios, hunc quoque locum in suffragium vocant. Sic Anonymus quidam per Anagrammatismum gallicum *Habite en Sion* dictus, (y) Judæos alloquens : *Futurum reditum vestrum in terram Patribus promissam*, inquit, *satis probant authenticæ illæ* (quas in præcedentibus adduxerat) *authoritates. Sunt vero & aliæ illis similes, reditus vestri tempus, sub seculi finem casurum, designantes, &c.* & p.p. (z) *Hoc ipsum prædicit Hoseas : Dies multos, ait, manebunt filii Israël sine Rege, sine Principe, &c. Postea revertentur, &c.*

y) In Jud. Excitab. matutin. pag. 21.

z.) p. 23.

§. 3. 3. De corporali reversione hoc loco agi, statuere quoque quodammodo videntur ex Christianis nonnulli, qui cum Judæis apud Hieronymum, (a) versum quartum de captivitate Babylonica, quintum vero de liberatione populi Judaici ex eadem explicant. Theophylactus : (b) *Post reditum à captivitate, sensum DEI percipientes 12. tribus, DEUM requirentes in unum sunt redactæ, unum juxta sortiti Principem zorobabelem, quem & David nominarunt, quod ex Davidis stirpe esset, in quo & divinitus datorum bonorum acceperunt fructum, &c.* Sic & Theodoretus, Ruffinus, Grotius, (c) & alii; quamquam illi de spirituali simul reversione, seu conversione tempore illo futurâ, hic agi non negent.

a) In comm. h. l.

b) Ad Hos. III. 5.

c) In h. l.

§. 4. Verum si singula accuratiùs considerentur, apparebit *in loco hoc non agi de corporali in terram Canaan reversione; verum de reversione spirituali ad Ecclesiam, seu de conversione.* Nam I. In versu præcedenti talis describitur Judæorum status, in quo ob enormia peccata longo tempore à vero Deo ejusque cultu & religione alieni atque aversi sint mansuri; hinc in versu quinto necessario per ישבו talis intelligitur conversio, quæ huic aversioni est opposita, quâ miseriam suam, ejusque causam agnoscentes ad DEUM convertantur.

§. 5. II. Quandocunque verbum שוב reverſionem è loco in locum notat, vel ſtatim locus aliquis certus ad quem, ſeu, à quo quis revertatur, aut etiam perſona additur, vel, ſi fortè ſolum ponatur, in præcedentibus mentio loci aut perſonæ præceſſit, quò illud referendum; ſi vero de converſione intelligendum, nullus additus locus, perſona nulla, ſed nude ponitur, id quod ex evolutione ſingulorum locorum patebit. Interdum equidem terminus ad quem, DEUS, ut: שובו אל יהוה *Convertimini ad Dominum*; (d) שובו אלי *convertimini ad me, inquit Dominus*; (e) interdum terminus à quo peccatū & iniquitas apponitur. Sic non ſemel Prophetæ ad pœnitentiam hortantes, clamant: שובו מדרכיכם הרעים *Convertimini à viis malis veſtris*, (f) שובו מכל פשעיכם *convertimini ab omnibus iniquitatibus veſtris*. (g) Attamen in locis hujusmodi pro converſione ſumi, nemo, niſi qui Soli tenebras offundere velit, negabit. Jam vero hic neque loci alicujus, vel terræ Canaan, vel Hieroſolymæ, quo reverti debeant, neque perſonæ mentio fit; ſed nude ponitur ישבו *convertentur*. Ergo hic non de reverſione in terram Canaan, ſed de converſione agitur.

d) Hoſ. XIV. 3.
e) Zach. I. 3. conf. Joël, II. 12. 13. Mal. III, 8. &c.
f) Zach. I. 4.
g) Ezek. XVIII. 30. Jer. XXV. 5.

§. 6. III. Exponitur vox ישבו in ſequentibus, per ובקשו את יהוה אלהיהם ואת דוד מלכם *& quærent Dominum DEUM ſuum, & Davidem Regem ſuum*, & ופחדו אל יהוה ואל טובו *& timide accedent ad Dominum & ad bonitatem ejus*. Quibus verbis tùm *vera pœnitentia*, ejusque *partes*, *peccatorum agnitio*, (quâ moti non ut olim ſacrificia, quibus DEUM reconcilient, ſed ipſum DEUM & Meſſiam, qui venit במקום הקרבנות *in locum ſacrificiorum* (h) quæſituri,] & *firma fiducia*, qua ipſi innitentes, vera fide ad eum ſe recepturi ſint, indicatur; tùm *fructus pœnitentiæ*, nova obedientia, quâ DEI miſericordiam bonitatemque agnoſcentes ipſi filiali timore obtemperaturi & ſedulo proviſuri ſint, ne peccatis ſuis ipſum denuo ad iram provocent, prout ex vocum Exegeſi colligere eſt. Quod ſi vero verſu hoc quinto miſeriæ corporali, quæ præter ſpiritualem, ſimul etiam in verſu quarto tanquam pœna prædicitur, oppoſita terrena felicitas, amiſſorumque

h) Ut ipſi Judæi fatentur in ילקוט חדש f. 142. fin. Edit. Amſt. in 4.

Redemtio à Messiâ præstanda non fieri debuit rebus mundanis, atque vi externa; (quandoquidem currus, equi, arcus, & reliqua instrumenta bellica dicuntur auferenda, (u) quo sensu etiam apud Hoseam cap. I. 7. Deus Pater dicit: *Servabo eos per Dominum Deum ipsorum*, i.e. per Messiam, *at non servabo eos arcu, gladio, bello, equis aut equitibus.*) Sed spiritu labiorum suorum erat interfecturus impios, & virga oris sui percussurus terram, (w) pacemque Evangelii omnibus gentibus prædicaturus. (x) [ε] Messiæ Regnum dicitur futurum æternum, quod nunquam cessabit. (y) Jam vero, prout omnia, quæ in mundo sunt, vana, imo vanissima & corruptibilia sunt, ita nullum regnum mundanum poterit esse æternum. Quin ipsi Judæi Messiam suum tantùm per 70. aut 40. annos regnaturum, postea verò moriturum, regnumque suum successoribus relicturum tradunt. (z) Ergo aliud, & quidem spirituale Messiæ regnum esse oportuit, quod tantò mundanis omnibus præstantius, quantò cœlum terrena omnia antecedit. [ζ] Non omnia, quæ de Messia & regno ejus à Prophetis more humano & figurate dicuntur, ad literam; sed multa parabolice & spiritualiter esse intelligenda ex Judæis non pauci fatentur. Sic Maimonides (a) locum Es. XI. 6. & huic similes dicit esse משל וחידה *parabolam & anigma*, i. e. parabolice & ænigmatice explicandos. Ut taceam, à quibusdam concedi, quod כל ענין המשיח הוא רוחני ואלהי לא גשמי *totum negotium Messiæ spirituale & divinum sit, non corporale.* (b) Plura hac de re contra Judæos peti possunt ex Helvic. Elench. Jud. III. Membr. II. de off. Chr. Reg. §. 1. seqq. Hoornbeck תשובת יהודה Lib. III. cap. 2. p. 241. seqq. Amplissimi Dn. Anckelm. Disp. Inaugur. de Pers. & Off. Christi ex Jer, XXIII. 5. 6. Membr. II. sect. 2. §. 5. seqq. &c. Destructo itaque imbecilli admodum hoc fundamento, corporalis in terram Canaan reversio ei superstructa sponte corruit.

u) Zach. IX. 9

vv) Es. XI. 4

x) Zach. IX. 10.

y) 1. Par. 17. 14. Psal. CX. 14. Dan. II. 44. cap. VII. 13. 14. &c.

z] Quod ex tr. סנהדרין cap. כל ישראל notat Helvic. Elench. Jud. III. Membr. II. de Off. Chr. Reg. §. 12.

a] in הלכות מלכים cap. 12. ab init. conf. eund. in מורה נבוכים part. II. c. 29. Kimch. in Es. 60. 16. & cap. 11. 6. Ab. Es. in Mich. 4. 1. &c.

b) נצח ישראל cap. 34. f. מח col. 3. edit. Prag.

§. 10. 3. Tertiam terræ Canaan possessionem ipsi Judæorum majores posteris suis non obventuram in antiquâ quadam traditione prædicunt, quæ in *Chronico mundi majori* סדר עולם (c) his verbis descripta habetur: וכן הוא אומר והביאך ה' אלהיך

c) fol. ל col. 2. lin. 3. seqq. edit. Basil. in 8. anno 1578.

אלהיך אל הארץ אשר ירשו אבתיך וירשתה מקיש ירושתך לירושת אבתיך מה ירושת אבתיך בחידוש כל הדברים הללו אף ירושתך בחידוש כל הדברים הללו אי יכול תהי ירושה שלישית תל וירשתה ראשונה ושנייה יש לכם שלישית אין לכם i. e. *Et eodem modo dicit:* Deut.XXX.5. Et introducet te Dominus DEUS tuus in terram, quam poſſederunt Patres tui, ut poſſideas eam. *Comparat poſſeſſionem tuam poſſeſſioni Patrum tuorum; quemadmodum* facta eſt *poſſeſſio Patrum tuorum cum renovatione omnium rerum illarum, ita etiam tua poſſeſſio fiet cum renovatione omnium rerum illarum. Num autem fieri poterit, ut ſit vobis tertia poſſeſſio? Doctrina eſt dicere, i.e. docemur voce* וירשתה [ſive vox hæc indicat] *quod prima & ſecunda poſſeſſio vobis ſit, tertia autem non ſit,* quæ verba ad amuſſim repetita leguntur in Talm. tr. יבמות. Ex qua traditione cum Galatino (d) ſic colligimus: Cum igitur bis tantùm Judæi terram quondam ſuam poſſidere debuerint, ut ex aſſerto hoc liquet, & eam jam olim bis poſſederint, primâ quidem vice tempore Joſuæ, cum ex ſervitute Ægyptiaca per Moſen liberati terram Canaan duce Joſua ingrederentur, usque ad templi primi everſionem; ſecundò vero poſt captivitatem Babylonicam, à tempore Zorobabelis & Eſræ, usque ad templi ſecundi & ultimi everſionem, ut ex hiſtoria Judaica manifeſtum eſt, ipſamque tertiò, præmiſſis traditionibus atteſtantibus non ſint poſſeſſuri, ipſimet concedant oportet, ſe nunquam amplius terram ſuam poſſeſſuros eſſe, & conſequenter nec ad eam reverſuros.

d) de Arcan. Cath. Ver. Lib. IX, c, 5

§. 11. Neque quicquam ſubſidii pro aſtruendo hoc ſomnio petere poſſunt ex locis Scripturæ. Lev. XXVI. 41. 42. 44. [de quo loco mirè ſolent triumphare, eum ob aliquoties repetitum את, quæ vox Germanis *ſimiam* ſonat, *ſimiam auream* vocantes] Deut. XXX. 3. 4. 5. & aliis: Nam α. hæ & ſimiles promiſſiones de reverſione in terram Canaan cum conditione pœnitentiæ datæ, de tempore V. Teſtamenti, cum Judæi etiam populus DEI erat, & politia eorum durabat, accipiendæ, impletæ ſunt in Vet. Teſtamento, cum Duce Zorobabele ex captivitate Babylonica liberati priſtinas Patrum ſuorum ſedes occuparunt. Si vero

β. de

rumque bonorum, tàm terræ patriæ, quàm Regiminis politici & Ecclesiastici recuperatio promitteretur, Propheta sine dubio non dixisset: *convertentur & quærent Dominum DEUM suum & Messiam*, &c. sed: postea, si DEUM quæsierint in terram Canaan revertentur, & Regem, Principes, sacrificia, templum, Ephod, sacerdotesque legitimos & alia, quibus in diuturno illo exilio carebunt, recipient, &c. prout in aliis promissionibus, quæ in Vet. Testamento impletæ sunt, scriptores sacri facere consueverunt. (i) Locus itaque hic de conversione est explicandus. i) Deut. XXX. 3. 4. 5. &c.

§. 7. IV. Idem consensu suo comprobant, *ex veteribus* Hieronymus, & alii in h.l. *Ex nostris* Luth. cum vertit bekehren. Münsterus, Meisnerus, Tarnovius, Waltherus, Calovius, &c. in h.l. *Ex Pontificiis* Vatablus, Ribera, Corn. à Lapide, & alii in hunc locum. *Ex Calvinianis*, Tremellius, Drusius, Rivetus, Livellejus, &c. in h.l.

§. 8. V. Contrariæ opiniones nullo firmo nituntur fundamento, & facili negotio possunt refutari. Nam *Judæorum & Chiliastarum sententiam vanam & falsam esse* probatur *in genere. 1.* Quia Sacra Scriptura Judæos ob varia sua peccata & contemtum Messiæ ita dicit rejiciendos, ut ex terra Canaan & urbe Hierosolyma, desolatione perpetua vastatis ejecti, nunquam eo sint redituri. Sic Esaias *terram* Canaan *omnino commovendam, disrumpendam, & confringendam, ita ut surgere amplius non possit*, (k) *urbem vero in acervum redigendam*, לעולם לא יבנה *neque in æternum reædificandam esse*, minatur. (l) *Imo ita esse contundendam, ut sit similis fractura utris figulorum, & ut in contusione ejus non inveniatur testa ad capiendum ignem è foco, aut ad depromendum aquas è lacuna.* (m) Danieli Angelus, quæ genti Judaicæ eventura in posterum erant indicans, *urbem & sanctuarium, post crucifixum Messiam, destruenda & perdenda nunciat, eamq; desolationem maximam* עד כלה ונחרצה *usq; ad consummationem eamq; præcisam super desolatum effusum iri.* (n) Quo vaticinio idem fere indicatur, quòd Christus Luc. XXI. 24. prædixit futurum: *Urbem Hierosolymam conculcatum iri à gentibus, donec impleantur tempora gentium*, i. e. quamdiu

k) Cap. XXIV. 19. 20.
l) Cap. XXV. 2.
m) Cap. XXX. 14. conf. Jer. XIX. 11.
n) Cap. IX. 26. 27.

quamdiu tempora gentium durabunt; cum vero ea usque ad consummationem seculi durent, Hierosolyma usque ad finem seculi conculcata & vastata manebit. Hoseas in personaDEI: *Totum malum istorum*, inquit, *in Gilgale est: Nam ibi odi eos, propter malitiam actionum istorum è domo mea* (i. e. ut explicat Chald. מבית מקדשי *è domo sanctuarii mei*) *expellam istos, non pergam amare eos.* (o) & quæ sunt hujusmodi loca alia. Quæ omnia evidenter confirmat ipsa experientia; Cum tot jam secula præterierint, in quibus neq; urbs Hierosolyma, quanquam id, ut ex historiis liquet, non semel tentatum est, ex ruinis suis rursus erecta, neque terra Canaan in pristinum statum restituta, neque ejus erigendæ & restituendæ vestigium ullum apparuit, aut apparet. Quo igitur quæso, O Judæi revertemini?

o) Cap. IX. 15.

§. 9. 2. Oritur sententia hæc ex falso fundamento & hypothesi: dum enim talem Messiam exspectant, qui aliorum Monarcharum more regnum aliquod terrenum sit inchoaturus; hinc per eum se ex miserrimo hodierni exilii statu fortiter liberatos in terram Canaan reductum iri somniant. *Regnum* autem *Messiæ non esse corporale, sed spirituale*, eaque quæ de illo in Scriptura כלשון בני אדם *juxta linguam filiorum hominis* i. e. locutionibus & figuris rerum humanarum corporalium ac terrenarum proferuntur, non ita ad literam, sed על דרך משל *mystice & spiritualiter*, non humano, sed divino more interpretanda esse, patet. [α] Quia tempore Messiæ Sceptrum sive Regnum externum debuit à Juda auferri. (p) Ergo Regnum Messiæ non in externo Sceptro & dominio mundano constituendum est. [β] Hierosolyma, quam sedem regiam futuram Judæi credunt, prout vastari debuit, (q) funditus est deleta. ergo alia sedes hujus Regis, eaque spiritualis sit oportet, & quidem talis Hierosolyma, quæ præ multitudine inhabitantium muro externo circumdari non potest, sed sine muro habitatur, cui murus igneus lux & ornatus Jehova est, & cujus incolæ omnes justi sunt. (r) [γ] Messias proponitur futurus pauper, (s) imo omnium miserrimus & afflictissimus. (t) Ergo gloria & majestas ejus non debuit in externo regni terreni splendore consistere; sed in rebus spiritualibus. [δ] Salvatio & Redemtio

p) Gen. XLIX. 10.
q) Dan. IX. 26. 27.
r) Zach. II. 4. 5. Esa. LX. 10. 11. 14. 18. 19. 20. 21. conf. cap. II. 2.
s) Zach IX. 9
t) Es. LII. 14. cap. LIII. tot. conf. Psal. XXII. Zach. X. 10. cap XI. 12, 13.

§.de tempore Novi Testamenti ea accipias, in quo Judæi non amplius populus DEI sunt, atque Politia eorum eversa est, non, nisi de reductione spirituali, qua per prædicationem Evangelii, ad Messiæ regnum spirituale veramque fidem partim jam collecti & reducti sunt, partim etiamnum colligentur & reducentur, intelligi possunt. γ. In loco secundo Deut. XXX. 5. secundam tantùm, non vero tertiam terræ Canaan possessionem promitti, antiquiores Judæi, ut §. 10. vidimus, fatentur. Vide pluribus Galatin. de arcan. Cath. Ver. Lib. IX. cap. 5. Helvic. Elench. Jud. III. membr. II. de Officio Chr. regio §. 16. 17. & Elench. Jud. Append. IV. §. 21. seqq, Gerh. LL. Th. Tom. IX. de Extremo Judicio §. 109. 110. & alios.

§. 12. *In specie* Judaicæ loci nostri expositioni, præter ea quæ in præcedentibus monita sunt, opponi possunt Judæorum celebriorum testimonia, qui locum hunc de conversione, non equidem ad Christum, quem hactenus contemserunt, sed generali à peccatis, circa tempora Messiæ futurâ exponunt, licet illi simul corporalem reversionem, quæ hanc sit secutura, subintelligant. R. David. Kimch. (e) his verbis : ואחר ישבו בני e) Com. h. l.
ישראל ׳ה יהיה באחרית הימים קרוב לעת הישועה שישובו
בני ישראל בתשובה: i.e. Postea vero convertentur filii Israël. *Hoc futurum est in ultimis & tempori salutis*, i.e. Messiæ *proximis diebus, cum convertentur Filii Israel conversione.* Don. Isaac. Abarbanel (f) hoc modo: והודיע עוד שבסוף הגלות ישובו f) comm. h. l. fol. רל col. ג lin. 16. seq.
בני ישראל ובקשו את ה׳ אלהיהם ואת דוד מלכם ז״ל
שיתחרטו מחלוק הלבבות אשר היה ביניהם בסורם מאחרי ה׳
ולכן יבקשו את ה׳ אלהיהם ללכת אחריו ולדבקה בו
i.e. *Indicat porro, quod in fine captivitatis filii Israel reversuri sint, & Dominum Deum atq; Davidem Regem suum quæsituri; quo indicare vult eos pœnitentiam acturos à divisione cordum, quæ inter eos erat, cum à Domino discederent, & propterea Dominum Deum suum quæsituros, ut eum sequantur, atq; ipsi adhæreant.* R. Alschech (g) literalem hujus loci sensum dicit esse, quòd filii Israël in captivitate hac debuerint dies multos sedere solitariè g) in מראות הצובאות ad Hos. III. fol. קא col. 4
אף כא אלוה נכר ולא רבקים בקדושתו יתברך בעצם *neg. ad in med.*

Denm

Deum alienum respicientes, neq; adhærentes ipsi sanctitati Dei *benedicti*; אך אחר ישבו ובקשו את יהוה אלהיהם *Verum quod postea se conversuri sint, & Dominum Deum suum quæsituri.* &c.

§. 13. Opinionem quoque eorum, qui *de reductione ex captivitate Babylonica* hic agi putant, *admitti non posse*, tum ex iis, quæ ad probandam veram sententiam dicta sunt, patet, tum ad Qu. II. sequentem uberius ostendetur. Firmum itaque & immotum manet Prophetam hoc loco prædicere non Judæorum in terram Canaan reversionem, sed eorum conversionem.

QUÆSTIO II.

Utrum Conversio, quæ hic prædicitur, jam facta sit?

§. 1.

Affirmativam arripiunt. 1. Illi, quorum jam ad quæst. I. §. 3. facta est mentio, *qui in reductione ex captivitate Babylonica* eam factam esse putant.

§. 2. 2. Qui *tempore Apostolorum* sub initium Novi Test. eam factam credunt. Sic D. Joh. Pappus (h) *Impletam dicimus esse hanc Prophetiam initio statim N. Testamenti, cum multa millia Judæorum ad Christum converterentur, ut docet omnis Actorum Apostolicorum historia, & vigesimum primum præcipue caput, ubi non modo Paulus narrat, quanta Deus fecerit in gentibus per ministerium ipsius; Sed Jacobus quoq; & cæteri Presbyteri Hierosolymitani Paulum admonent, quot millia ex Judæis crediderint.* Tarnovius: (i) *Idq;* [quod scil. Deum & Messiam quærent, fiet] *ultimis atq; ab ipso definitis Gal. IV. 4. temporibus, in quibus locutus est nobis per filium sub initium Novi Test. Heb. I. 1. 1. Pet. I. 20. Hoc enim tempus Prophetæ respectu Vet. Test. nominant* אחרית הימים *conf. Mich. IV. 1. Es. II. 2. &c.* quanquam ipse celebrem illam circa mundi finem futuram conversionem negasse non velit videri, paulo post ita inquiens: *quam* [conversionem circa finem mundi futuram] *nos velut ultimum complementum possumus huic initio glorioso adjungere, siquidem scriptura apud Johannem. 1. Joh. II. 18. totum illud tempus horam novissimam vocat, & si in genere omnem*

h) in com. h. l.

i) in h. l. v. 5.

omnem conversionem Judæorum hic intelligimus, quæ sit post captivitatem Babylonicam, illam ultimam celebrem non excludimus. Wigandus:(k) In novissimo dierum *significat tempus exhibitionis Christi. Docet enim ista tam cito non futura esse, sed præfinitum tempus observaturum esse Deum. Quamvis & hac phrasis respicit ea, quæ promissa sunt, nempe, quod absque Rege & Sacerdote futuri essent. Nam utraque labefactata sunt quando Christus apparuit.* A sententiâ quoque hac non omnino alieni videntur Münsterus & ei ad verbum respondens Clarius, (l) dum, quod versu priori de statu Judæorum deplorando Propheta vaticinatur, tempore illo, qui à captivitate Babylonica, usque ad Christum natum duravit, impletum esse statuunt,& qui sunt alii. Hi tamen omnes non excludunt ævo Apostolico posteriores cùm particulares, tùm catervatim affluentes conversiones.

k) comm. h.l.

l) in h.l.

§. 3. 3. Ex parte impletum esse, quod hic de conversione Judæorum dicitur, ex parte vero etiam implendum, existimant illi, qui *de omni conversione successiva* vel confertim facta, vel particulari, miscellanea, & quasi manipulari, inde à prædicatione Apostolica usque ad extremum mundi nihilum, verba Hoseæ accipiunt. In hunc sensum adscribo Waltherum, qui (m) *Impleta autem est*, inquit, *tempore, sub Nov. Testamento, non uno, sicut enim conversio gentium non est facta simul & semel, sed successive, sic etiam Judæi sparsim fuere conversi & successive.* Eodem modo D. Cramerus: (n) *Sicut conversio gentium non facta est simpliciter catholice, & simul, sed successive sparsim & pedetentim; Ita concedimus Judæos sparsim successive convertendos, & jam modo aliquam multos conversos esse & subinde converti haud paucos, qui in oculis DEI collecti & notissime conscripti, haud parvam constituunt multitudinem. Ut ex vivâ relatione cujusdam Græci nuper accepimus, quamplurimos Judæos ad Græcam subinde Ecclesiam, sub Imperatore Turcico annuatim converti.* Subscribit Rivetus: (o) *Promittitur Israëlitis vocatio ad Christum Messiam, in communione gentium vocandarum per Evangelii prædicationem. Quod beneficium non ita restringimus ad initium vocationis Evangelicæ, ut non etiam intelligamus gratiam illam subinde communicare, & communicari, & communicatum iri credenti-*

m) in Harm. Bibl. ad h.l.

n) Part II. de regno Christi cap. IV. qu. 6. p. 333.

o) in comm. h.l.

bus ex Israel usq; ad finem mundi. Hic addi possunt, quotquot alia de Judæorum conversione agentia loca, & præsertim illum Rom. XI. 25. 26. de conversione successiva explicant, Brentius, Calvinus, & alii, (p) quos, ut & opinioni secundæ addictos, recte & à veritate nihil alienum statuere dicit, verba singulorum adducens B.D. Danhawer. in Apocal. Myst. Apostol. Rom. XI. 25. Sect. II. Art. 2. p. 102. 103.

p) ad Rom. XI. 25.

§. 4. Verum enimvero, non equidem negaverim tempore reductionis ex captivitate Babylonicâ superstites ex tribu Juda & Benjamin agnitâ captivitatis & miseriæ, in qua per 70. annos vixerant, causâ, peccato, Deum verum relictâ Idololatriâ requisivisse. Neq; ignotum est ex historia sacra, tempore Apostolorum ingentem eorum multitudinem veritate agnitâ Messiam esse amplexam: Lucas uno Petri jactu tria millia ἐζωγρημένους memorat; (q) [quanquam captura illa non ex solis Judæis, sed & proselitis & gentilibus constitit, ut conjicit Chrysostomus & Oecumenius] Atque hic quidem numerus exiguus videri queat præ illo, de quo sibi gratulatur Ecclesia Hierosolymitana: (r) *Vides frater, quot myriades sint Judæorum, qui crediderunt.* Non paucos quoque inde ab ævo Apostolico ad nostrum usque seculum sparsim successive esse conversos, facile concesserim. Utrum vero hæc, quam Hoseas in loco nostro prædicit, conversio dictis temporibus sit impleta, illud est, pace tot ac tantorum virorum *si liceat, quod non sine ratione videtur negandum.* Nam I. *Tempore reductionis ex Babylonica captivitate eam factam non esse,* probatur 1. Quia *Subjectum*, de quo sermo hic est, sunt בני ישראל *filii Israel*, per quos, latè acceptâ Phrasi, omnes duodecim tribus, ut in Exegesi ad vocem hanc monitum est, intelliguntur. Captivitas vero Babylonica, & liberatio ex eadem, ut & conversio eo tempore facta soli tribui Judæ & Benjamin evenit, cum decem tribus reliquæ jam dudum in captivitatem abductæ, liberatis Judæis in terram Canaan unà cum illis non redierint. Ergo quod de omnibus tribubus hoc loco dicitur, non potuit in una vel duabus esse impletum. Licet autem pauci forte ex decem tribubus & præsertim Schimeoniticâ Ephraimiticâ & Menassæa, post regni Judaici

q] Act. II. 41.

r) Act. XXI. 20.

daici & Israëlitici divisionem (s) Judæis se adjungentes, inter eos mixtim confusi habitaverint, atque ita cum illis in captivitatem abducti, postmodum etiam conversi & in terram Canaan reversi sint; quanquam etiam, ut ex Esræ I. 5. nonnulli colligunt, post reditum ex captiv. Babylonica, aliqui inter gentiles tum superstites cum revertente tribu Judâ se conjunxerunt; Conversio tamen illorum manipularis tantum fuit, (t) non plenomaticus, nec talis, quâ decem tribus conversæ fuisse dici possint.

s) 2. Chron. XV. 9. cap. XXX. 11.

t) ut vocat eam D. Danhavver d. l. Sect. I. Art. VI. p. 55.

§. 5. 2. Conversio hæc futura dicitur באחרית הימים, quæ formula, ut in Exeg. §. 20. monitum, *tempus Messiæ* indicat, consentientibus non solum Christianis fere omnibus, sed & ipsis Judæis, quando non semel dicunt: כל מקום שנאמר באחרית הימים הוא ימות המשיח (u) Ergo conversio hæc, cum tempore Novi Test. impleri debeat, post Captivitatem Babyloniçam impleta esse non potuit.

u) Kimch. in Esa. II. 2. Mich. IV. 1. & R. Sal. ben Mel. in מכלל יפי ad Esa. II. 2.

§. 6. 3. Qui conversionem hanc præcedere debet *miserrimus Judæorum status*, in quo absque Rege & Principe; absque sacrificio & statua; absque Ephod & Theraphim mansuri sunt, in captivitate Babylonica eis non obvenit. Ergo etiam conversio, post hos dies atque statum hunc futura, tempore liberationis ex dictâ captivitate facta esse non potuit. Dicuntur enim (α) mansuri *sine Rege & Principe*: Quamvis autem cum Ribera (w) affirmare nolim, Judæos tum temporis Regem proprie dictum habuisse *Jehojachimum*, cujus caput Evilmerodach extulisse legitur: (x) Quandoquidem Evilmerodach ipsi neque Judæos pro lubitu regendi, legumque condendarum & exercendorum judiciorum potestatem, quæ Regi propriè dicto competit, neque in terram Canaan redeundi libertatem concessit; sed tantum caput ejus extulit ex carcere, i. e. qui antea duriter pressus fuerat, eum tùm comiter excepit, solium ejus super solia reliquorum aulicorum collocans, ipsique de mensa sua cibum capere permittens, quæ exaltatio multum etiam servitutis habuit, nec ullam dignitatem Regiam proprie dictam importat. (y) Tamen Sceptrum illud, quod Jacobus (z) usque ad Messiæ adventum duraturum fuerat vaticinatus,

vv) in comm. h. l. num. 31.

x) 2. Reg. XXV. 27.

y) vid. Tarnov. in Hos. III. 4.

z) Gen. XLIX. 10.

non plane fuit ablatum; sed per mediam illam captivitatem, licet debile admodum, tùm *in Concilio ordinario*, tùm *in Principibus* duravit. Nam habuisse eos סנהדרין *Concilium ordinarium* inter alia ex Ezekielis VIII.¥.1. apparet, ubi diserta זקני יהודה *seniorum Judæ* mentio occurrit; cui addi potest Interpres Chaldæus in Cant. VI.1. qui talem dicti loci tradit paraphrasin: זמרי עלמא קבל צלותהון ברעוא ונחת לבבל לסנהדרין דחכימיא i. e. *Et Dominus mundi benevole audivit preces eorum, & descendit in Babyloniam ad Concilium sapientum.* Quod vero non omnino אין שר *sine Principe ullo* fuerint, illud manifestissimum est: שרי השבטים *Principes tribuum* inter eos fuisse, nemo facile negaverit, quia sine his si fuisset, tribuum ordines tam accurate conservari non potuissent; שרי האבות *Principes Paternarum familiarum*, qui ex captivitate ascenderant, expressis indicat Esra, (a) studium eorum in restaurando templo Hierosolymitano exponens; שרי הכהנים והלוים *Principes sacerdotum & Levitarum* eorumque genealogiæ à Nehemia (b) recensentur. Quid? quod non solum Princeps, Judæos pro lubitu juxta leges proprias gubernans; verum etiam talis, qui, licet in potestate Principis non constitutus, genus tamen suum ex stirpe regia ducat, hoc loco denegatur: At Principe hujusmodi Judæos in captivitate Babylonica non caruisse, *Jojachimus*, *Sealthiel*, *Zorobabel*, *Daniel* & alii ex prosapia Regia orti (c) exemplo suo comprobant. Estque omnino probabile, quod Judæi eos in ipsa etiam captivitate *Principes sibi constituerint*, eorumque paruerint imperio; quanquam illi metu Regum Chaldæorum apertè, & eo quidem, quo postea Zorobabeli Cyrus concessit, modo hoc suum dominium exercere non potuerunt. Hinc Judæi integrum ראשי גליות *Principum captivitatum*, i. e. *exulum*, prout appellantur, (d) catalogum, quo ordine videlicet sibi invicem in imperio sub captivitate Babylonica successerint, producunt. Inde etiam soluta vix captivitate Zorobabel, ex jure successionis sine dubio jam antea electus, פחת יהודה *Princeps Judæ* appellatur, (e) & ad clavem Reipublicæ sedem potestatem administrasse legitur.

a) cap. II. 68. cap. III. 12. cap. IV. 2, 3.

b) cap XII. 1.

c) Dan. I. 3.

d) Talm. tr. סנהדרין cap. דיני ממונות. conf. Rab. Sal. in Gen. 49. 10.

e) Hag. I. 1. conf. Esr. II, 2

§. 7.

§. 7. (β.) Licet in captivitate Babylonica externis illis, quæ ad cultum divinum pertinebant, rebus, sacrificiis, Templo, altaribus, Ephod, & aliis ornamentis sacris destituti fuerint; non tamen *sine omni vero DEI cultu*, qui à Propheta sub externis his comprehenditur, fuerunt: Præterquam enim, quod quivis, quem præsentes illæ afflictiones ad DEUM confugere docuerant, privatim precibus suis DEUM invocavit, publicos quoque ad preces faciendas, (f) & audiendos Prophetas, (g) ad celebranda jejunia, (h) aliasque, quæ quidem ab ipsis peragi poterant, ceremonias observandas habuere conventus. Habuere quoque Prophetas, Ezekielem, Danielem, Obadiam, qui quotidie concionibus suis à peccatis eos dehortati verum DEI cultum exposuerunt, & inculcarunt, impios redarguerunt, pios vero angustiis pressos promissionibus, de certissime post 70. annos eventurâ liberatione, erexerunt. Habuere denique etiam Sacerdotes & Levitas, (i) qui procul dubio legem Mosaicam pro ratione officii sui (k) in conventibus exposuerunt. Atque hinc est, quod ex eruditis non pauci Synagogas tum temporis primum inter Judæos cœpisse putant, eo quidem fine, ut, cum templo carerent, ubi Lex prælegi posset, & preces publicæ ad DEUM funderentur, loca tamen quædam templo similia haberent: in quibus sacrorum officiorum gratia convenirent, ne cultus divinus plane cessaret atque omitteretur. (*videantur Sigon. de Republ. Heb. lib. II. cap. 8. & Muller. Judaism. Part. II. cap. 4. p. 1414.* & alii.) Quam tamen controversiam meam hoc loco non facio.

f) Jer. XXIX. 7.
g) Ezek. VIII. 1. cap. XIV. 1. cap. XXXIII. 31.
h) Psalm. CXXXVII. 1. Zach. VIII. 4. conf. Esth. IV. 16.
i) Esr. II. 70. cap. III. 1. 8. &c.
k) Deut. XXXIII. 10.

§. 8. Nec [γ] constat nullos per 70. illos captivitatis annos fuisse fornicatos, atque idola coluisse. Quis enim credat nullos vel promissis vel minis gentilium ad adoranda ea inductos fuisse, cum in patria sua liberi viventes adeo proclives ad idololatriam fuerint, ut ab ea nullo modo per conciones Propheticas abstrahi potuerint? Quis persuaderi sibi patiatur, nullos ad mandatum Nebucadnezaris audito buccinarum, sympanorum, aliorumque instrumentorum musicorum sono in genua procidisse, statuamque auream à Nebucadnezare erectam divino adorationis cultu honorasse. Ut jam non ad-

dam insanum illud eorum, qui duce Jochanane in Ægyptum abierant, in colendis rebus cœlestibus studium, qui, ut ab idolatria hac desisterent, per Jeremiam moniti, responderunt: *se verbo illi, quod Jeremias in nomine Domini loquatur, non auscultaturos; sed in adolendo idolis illis suffitu & libandis libaminibus perrecturos.* (l) Atque ita neque hoc vaticinii nostri comma, quo dicuntur mansuri אין מצבה ותרפים *sine statua & sine idolis*, in captivitate Babylonica impletum esse videmus.

l) Jer. XLIV. 16. 17.

§. 9. Posset vero quis objicere. [1.] Quod Vaticinium hoc ante captivitatem Babylonicam sit prolatum, & propterea complementum ejus merito ad tempus illud possit referri, præsertim cum talia in eo dicantur, quæ statui illi optime conveniunt. Quo argumento motos nonnullos id de captivitate Babylonica accepisse testatur Hackspan. (m) Verum non sufficiens argumentum hoc est, ut propterea ad captivitatem illam hoc vaticinium referamus; præsertim cum tot rationes, ut vidimus, contrarium suadeant. Imo, quot in sacro Codice habentur promissiones, quæ ante captivitatem illam à Prophetis prolatæ sunt, & quodammodo etiam statui illi applicari posse videntur, quæ tamen longo post eam tempore sunt impletæ? Objici posset. [2.] Eadem fere verba occurrere 2. Par. XV. 3. 4. ubi dicitur: וימים רבים לישראל ללא אלהי אמת וללא כהן מורה וללא תורה וישב בצר לו על יהוה אלהי ישראל ויבקשהו וימצא להם וגו׳. Quæ verba multi ad captivitatem Babylonicam referentes ita explicent: *Transibunt dies multi in Israël absq; DEO vero, & absq; Sacerdote docente, & absq; lege. Cumq; reversi fuerint in angustia sua ad Domenum DEUM Israël & quæsierint eum, reperient eum.* Ideoque commode etiam hunc Hoseæ locum de captivitate illa posse exponi. (n) Verum Propheta Asarias in loco dicto non prædicit statum populi Judaici in captivitate Babylonica futurum; sed ex præsenti tum temporis regni Israëlitici statu & miseria adhortationis suæ petit confirmationem, ut scilicet Asa unà cum subditis suis in cœpta regni reformatione & remotione idolorum fortiter pergat, miseriam regni Israëlitici, in quo

m) Not. Philol. Part. II. ad h. l.

n) quod objici posse putat Ribera in comm. h. l. num. 28.

jam diu inde à Jeroboamo non sit verus DEUS, neque sacerdos docens, neque lex, sibi ob oculos ponens, ne idem & regno suo eveniat. Textus ergo Hebræus ita potius cum Tremellio & aliis vertendus: *Dies enim multi* aguntur *Israelitis, sine DEO vero*, (quia relicto eo vitulos colebant) *& sine sacerdote docente, ac sine lege. Quod si conversus fuisset, cum angustia esset sibi, ad Jehovam DEUM Israelis, requirentibus ipsum præsto fuisset*, &c. ubi tandem Asarias v. 7. concludit: *Vos ergo*, O Juda & Benjamin, *confirmamini, neque sint remissæ manus vestræ: est enim merces operi vestro.* Deinde si vel maximè locus ille de captivitate Babylonica ageret; non tamen sequeretur, propterea etiam hoc Hoseæ vaticinium, quia in verbis cum illo quodammodo convenit, ad captivitatem illam esse referendum. Nihilitaque per has ratiunculas sententiæ nostræ decedit; sed inconcussum manet, conversionem hanc eo, quo populus Judaicus ex Captivitate Babylonica reductus est, tempore, factam non fuisse, neque etiam fieri potuisse.

§. 10. *Neq;* II. *Sub initium Novi Testamenti*, post Christi in cœlos ascensionem, prædicare primum incipientibus Apostolis conversio hoc loco prædicta facta est. Nam *Filii Israel tum nondum sederant dies multos* (1) *sine Rege & Principe*: Quamvis enim semel amissam in exilio Babylonico regiam & absolutam imperandi formam nunquam recuperaverint, sed semper *Monarchis*, primo quidem Persarum, tum Græcorum, & demum Romanorum paruerint; semper tamen inde à Captivitate Babylonica usque ad natum Christum aliquem habuere Principem & Ducem, qui permittentibus Monarchis illis juxta instituta propria Rempublicam administravit. Quorum primus, ut jam dictum, post captivitatem fuit *Zorobabel*, quo duce, Cyri Regis indultu, Judæi ex Babylonia ascendentes Hierosolymam cum templo primùm reædificare cœperunt. Hic successores habuit *Esram & Nehemiam.* Mortuo Nehemia ad Pontifices rerum summa pervenit, ceu ex historia *Jaddi* Pontificis, qui Alexandro magno Hierosolymam obsessuro obviam processit, apparet. (o) Jaddum excepere *Onias*, *Simon* cognomine *justus*, *Eleasar*, *Manasse*, *Onias II. Simon II.* *Onias*

o) Joseph. lib. XI. Antiq Jud. cap. 8.

Onias III. Jesus fil. Josuæ, qui Jason appellari maluit, *Onias IV.* qui Menelaus voluit vocari, *Lysimachus*, *Alcimus*. Hanc potestatem in eo ordine postea בית חשמונאי *familia Chasmonæa*, (ut vocant Judæi) sive *Maccabæi*, (ut ab aliis appellantur) continuarunt, primusque Maccabæorum fuit *Matthatias*, cujus fortitudo bellica & studium in restaurando cultu divino 1.Maccab.II. & apud Josephum (p) prædicantur. Is, antequam moreretur, *Judam* filium successorem constituit. Hunc à Bacchide Demetrii Syriæ Regis Duce interfectum excipiebat *Jonathan* frater, cui tandem surrogabatur tertius fratrum *Simon*, qui etiam Matthæus vocabatur, cujus auspiciis arx Hierosolymitana recepta est, Syrorum præsidio inde ejecto. (q) Simeonem sequebatur *Johannes*, *Hircanus* dictus, & hunc *Aristobulus* cognomine φιλέλλην, filius Hircani, qui diademate sibi imposito Regis titulum primus post Zedekiam resumsit, (r) licet Regis potius imaginem referret, quàm ut Rex verus, & quidem talis, quales priores erant, dici mereatur. Posteri tamen quoque Aristobuli regium nomen usque ad *Herodem* retinuerunt, qui ex Antipatro Idumæo natus tùm à Senatu Romano, tùm à Cæsare ipso Rex Judæorum constitutus, (s) potestatem familiæ Chasmonææ eripuit, & genus eorum extinxit. (Imperante eo Christus, desiderium illud omnium gentium, natus est) Herode morte sublato, Regnum ejus in Tetrarchias ab Augusto Cæsare scissum est, ita ut *filii ejus*, *Archelaus* Judæam, *Philippus* & *Antipas* reliquam regionem gubernarent. Cum vero Archelaus ob regnum minus recte administratum, inde ab Augusto extrusus esset, Judæa in provinciæ formam redacta est, & Judæi nunc Regulos quoque suos & Duces amiserunt, omnique jure administrandæ Reipublicæ, quod per varios casus variaque discrimina hactenus utcunque conservaverant, paulatim excidentes à Cæsaribus Romanis Procuratores, *Quirinum*, *Marcum Ambivium*, *Annium Rufum*, *Valerium Gratum*, *Pontium Pilatum*, *Cuspium Fadum*, *Tiberium Alexandrum*, *Cumanum*, *Felicem*, *Porcium Festum*, *Albinum*, *Gessium Florum*, acceperunt. Interim, licet hoc modo patria libertas & leges domesticæ, ut & jus vitæ & necis

p) Lib. XII. Antiq. Jud. cap. 8.

q) Vid. lib. 1. Maccab. & Joseph. d. l. lib. XII. XIII. seqq.

r) Joseph. d. l. lib. XIII. c. 19.

s) Joseph. d. l. Lib. 14. cap. 26. & lib. XV. cap. 10.

necis Judæis fuerint ademta, סנהדרין *Synedrium* tamen illud magnum ſeptuaginta ſenioribus & duobus præfectis (quorum alter ראש הישיבה *caput illius conſeſſus*, dictus נשיא Princeps, alter ad dexteram אב בית דין נשיא *Pater domus judicii* dicebatur) conſtans, (t) à Moſe juſſu DEI primum inſtitutum, perpetua ſerie ſub Judicibus, Regibus, Ducibus, Pontificibus continuatum Hieroſolymis ad poſtrema usque & deſolationi eorum proxima tempora permanſit, & jus vitæ & necis in eos, qui vel in DEUM & religionem blaſphemi, vel in populum Judaicum injurii eſſent, diu etiam ſub Procuratoribus Romanis usque ad Albinum Præſidum penultimum retinuiſſe videtur. (u) Apparet itaque tempore prædicationis Apoſtolicæ nondum *dies multos*, ſive tempus longinquum Rempublicam Judæorum funditus deletam, Judæosque *ſine Rege & Principe* fuiſſe.

t) Vid. Maimon. הלכות סנהדרין cap. 1. 2. ſeqq.

u] Quod pluribus demonſtrat Celeberr. Dn. D. Wagenſeil, in diſſert. de Geneſ. XLIX. 10. p. 51. ſeqq.

§. 11. 2. Tempore Apoſtolorum *nondum ſederant dies multos abſq; ſacrificio.* Soluta enim captivitate Babylonica, exſtructum rurſus Altare DEI, & ſacrificia, ita ut olim ſtante priori templo, oblata DEO eſſe, in libris Esræ & Nehemiæ legimus. Ab eo autem tempore usque ad natum Chriſtum, imo usque ad Hieroſolymorum excidium ſacrificia in uſu apud Judæos fuiſſe ex hiſtoria Novi Teſtamenti ſatis ſuperque liquet. Obſervaſſe enim Sacerdotes ſeriem fungendi miniſterii ſui coram *DEO*, offerentes ſacrificia & aromata adolentes, Lucas teſtatur. (vv.) Maria, quadraginta diebus purificationis ſuæ juxta legem Moſis impletis, (x) victimam pro perſona ſua obtulit. Quin ipſe Salvator ſanatos à ſe leproſos, ut ad ſacerdotes abeant, ſeque iis oſtendentes donum à Moſe (y) mandatum offerant, non ſemel jubet. (z) Ut plura jam, brevitati ſtudens, non addam. Huc accedit, quod juxta decretum divinum Danieli (a) ab Angelo revelatum, in medio ſeptimanæ ultimæ ſeptuageſimæ, quod in ultimum annum Neronis incidit, Veſpaſiano cum Romanorum copiis Hieroſolymas obſidente, ſacrificia & munera demum aboleri debuerint, id quod & eventus ipſe comprobavit.

vv] cap. I. 8. 9

x] Lev. XII. 2. 3. 4.

y) Lev. XIV. 4.

z) Matth. VIII. 4. Luc. XVII. 14.

a) Cap. IX. 27.

§. 12. Denique 3. Tempore Apostolorum *nondum sederant dies multos absq;* אפוד. Per Ephodum non solum illud summo Pontifici proprium & reliqua sacerdotum vestimenta; sed ipsum etiam sacerdotium intelligi in Exegesi monitum est. Jam verò quamdiu Hierosolyma steterunt Sacerdotes Judæis fuisse, tam certum est, quam quod certissimum: Ut enim historiam Sacerdotii inde à captivitate Babylonica, licet multas subinde corruptiones fuerit passum, propagati non repetam, si ea saltem, quæ in N. Testamento Scriptores Sacri nobis reliquerunt percurramus, videbimus eas non modo unum semper summum Sacerdotem, ἀρχιερέα proprie sic dictum habuisse, quales memorantur fuisse *Anna* & *Caiphas*; sed & ordinem aliquem Sacerdotum, sive γένος ἱεράτικον, *genus sacerdotale*, (b) qui juxta certas classes & series, per vices sacra administrare solebant, [c] qui etiam, sensu tamen latiori respectu Levitarum, (d) ἀρχιερεῖς [e] dicebantur. Ideoque, quod Ephodum etiam habuerint, neminem jam dubitare credo; cum non fiat verisimile, Judæos strictos adeò ceremoniarum *Mo*saicarum observatores, summo Sacerdote etiam tum gaudentes, hoc præcipuum ejus ornamentum interire passos fuisse. Dum itaque Judæi ea omnia, quæ versu loci nostri priore eis defutura dicuntur, circa tempora Apostolicæ prædicationis etiam habuerint, & verò conversio, quam versus posterior promittit, *tum demum, ubi diu rebus illis privati manserint*, fieri debeat, sequitur, quod conversio quæ ad prædicationem Petri & reliquorum Apostolorum accidit, non sit illa, de qua locus noster loquitur, & ita conversio hic prænunciata, tum temporis nondum impleta fuerit.

b) Act. IV. 6
c) Luc. I. 5. 8. 9.
d) Joh. I. 19.
e) Matth. II. 4. cap. XXVII. 3. 6. &c.

§. 13. Verum regeras [α] Hoc quidem de Judæis stricte sic dictis, sive de tribu Juda & Benjamin affirmari posse, quod tempore Apostolorum nondum omnem Reipublicæ & Ecclesiæ formam amiserint: At tamen decem tribus reliquas, de quibus hic Propheta agere videatur, tum jam longo satis tempore per 7. fere secula, inde ab Hosea ultimo Israëlitarum Rege, quem Salmanasser Assyriorum Rex circa annum mundi ducentesimum & vigesimum sextum supra ter millesimum, captâ Samariâ,

mariâ, una cum gente Iſraëlitica, in regiones Medorum in ſervitutem duriſſimam abduxit, *ſine Rege & Principe, ſine ſacrificio & ſtatua, ſine Ephod & Theraphim* fuiſſe, adeoque in illis converſionem hanc eſſe factam. Sed R. [a.] Prophetiam hanc non ad ſolas decem tribus, ſicut nec ad ſolas tribus Judæ & Benjamin, ſed ad omnes duodecim tribus in genere pertinere, id quod luculenter ex adhibitâ formulâ בני ישראל apparet, [vide Exeg. §. 3.] Quod [b.] ipſe etiam Tarnovius, de converſione ævo Apoſtolico facta hunc locum explicans, agnoſcit, quando ita ad verſum quartum ⲙⲛⲧⲣⲉϥϫⲓ: Diebus multis ſedebunt Iſraëlitæ, *decem tribus diutius, ſiquidem ante, quam Judæi abducebantur, & illi diu in terra ſancta à Regno Judæ, in quo DEUS ſuum populum & cultum verum ſervabat, divulſi, & poſtea longe citius abducti in exilium, Israelitæ, ſive decem tribus nihil horum habebant, omnes tamen, etiam Juda & Benjamin, ſeu qui ſunt de regno Juda, ſatis longo tempore in ſeptuagenario exilio.* Sic quoque Pappus בני ישראל non de ſolis decem ttibubus accipere videtur, dum convertendos vocat Judæos: Vocem enim Judæorum vel late ſumit, vel ſtrictè; ſi late, omnes duodecim tribus intelligit, & ſic obtinui quod volebam; ſi ſtricte, de tribu Judæ & Benjamin eam exponit, & tum ipſe, ob datas antea rationes, quod intendit, obtinere non poteſt, quia, ut dictum, tribus Judæ & Benjamin tum nondum ſederant *tempus longinquum* ſine Rege, & Principe, &c. Münſterus & Clarius ſimiliter talia in explicatione hujus loci ponunt, quæ decem tribubus applicari non poſſunt. Sic enim illi: *Impleta eſt hæc Prophetia poſt captivitatem Babylonicam, quando filii Israel ſederant multis annis, i. e. usq; ad Chriſtum, ſine legitimo Rege. Non enim fuerunt Maccabæi de tribu Juda, ſicut nec Herodes.* Jam vero Maccabæi & Herodes non decem tribubus, ſed tribui Judæ & Benjamin præfuerunt. Ergo illi per בני ישראל non potuerunt intellexiſſe decem tribus; niſi dicere malimus, quod de ſola tribu Juda & Benjamin id acceperint. [c.] Qui concionibus Apoſtolicis moti fidem Chriſtianam amplexi ſunt, illi, ſi non omnes, ſaltem plurimi de tribu Juda & Benjamin, ſeu Judæi ſtricte ſic

dicti fuerunt, tùm Hierosolymis, ubi primas suas conciones Apostoli habuerunt, tùm in vicinis urbibus & regionibus habitantes, ita ut ne quidem ulla Israelitarum tum unà fortè conversorum, respectu multitudinis Judaicæ, ratio haberi possit, adeoque, cum â potiori fieri soleat denominatio, conversio hæc non Israëlitarum, sed Judæorum dicenda est, quæ tamen juxta contrariam sententiam Israëlitarum proprie & esse & vocari debuit.

§. 14. Regeras (β.) Judæos stricte sic dictos quoque tempore Apostolorum jam sedisse aliquando *dies multos sine Rege & Principe, &c.* in septuagenario captivitatis Babylonicæ exilio, & sic frustra asseri, quod, cum post captivitatem Babylonicam usque ad excidium Hierosolymorum ea omnia habuerint, id quod versu 4to dicitur, eis tum nondum obvenerit: Sic Grossehain Diatrib. de Catholica Judæorum conversione pag. 53. conf. p. 52. Quod etiam non obscure subinnuit Tarnovius, quando paraphrasin versus quinti aggrediens: *Hactenus*, inquit, *mala quibus DEUS suum populum in captivitate Babylonica afflixit*, &c. conf. eund. in v. 4. quæ verba §. 13. citata sunt. Verum ℟. [a.] Quod Judæi in captivitate Babylonica Principe, Sacerdotibus, & vero DEI cultu fuerint orbati, illud est, quod probatione indiget; contrarium superius §. 6. 7. 8. demonstratum, quo, cum singula hic repeti non possint, lectorem remitto. [b.] Conversio hæc statim post miserum illum statum, in quo dies multos tanquam viduæ mœrentes sederant, eventura dicitur. Imo dies illos finiri & terminari per אחרית הימים & אחר concedit ipse Grossehain d. l. Ergo non possunt nec debent inter hunc & illam tot secula, in quibus prior felicitas, licet non in totum, reddita illis fuit, interponi.

§. 15. Tandem III. Vaticinium hoc *in conversionibus Judæorum successive inde ab ævo Apostolico factis nondum impletum*, probatur 1. Quia conversio de qua Hoseas loquitur, conversio solennis & numerosa admodum esse debet, quâ בני ישראל *filii Israel* conversi esse dici possint. Quemadmodum enim in versu priori בני ישראל gens Israelitica *sine Rege & Principe*, &c.

&c. *manſura* dicitur, ita quoque verſus poſterior בני ישראל gentem Judaicam convertendam indicat. Quanquam autem affirmare non audeam, omnes & ſingulos in converſione hac eſſe convertendos ; plurimos tamen, & tantam eorum multitudinem fidei Chriſtianæ ſe adjuncturam colligo, quæ gentis Israëliticæ nomine venire poſſit. Jam vero in converſionibus ſucceſſive factis, licet nunc unus, nunc duo, nunc quatuor, nunc tota, imo aliquot familiæ, nunc mille, nunc plures converſi fuerint, nondum tamen illi gentem Judaicam conſtituunt, quippe quæ non centenis, neque millenis, ſed myriadibus eſt numeranda.

§. 16. 2. Si hiſtoriam converſorum Judæorum inde ab initio N. Teſt. perquiras, nullam invenies inſigniorem converſionem, quàm eam quæ tempore Apoſtolorum accidit, quâ multæ myriades Chriſto nomina ſua dedere. Cum vero eo tempore, ut ſuperius oſtenſum, pars prior vaticinii hujus prophetici impleta nondum fuerit, & filii Iſraël tum nondum *dies multos ſine Rege & Principe, ſine ſacrificio & Ephod ſederint*, ſequitur, quod hi non poſſint cenſeri converſi converſione illa, quam Hoſeas tum, ubi dies multos Iſraelitæ rebus prædictis orbati fuerint, futuram dicit. Qui autem temporibus ævo Apoſtolico proximis ſparſim ſunt converſi, neque hi, ad minimum per ſecula tria vel quatuor, antequam dies illi *multi fuere impleti*, *convertendis*, de quibus propheta loquitur, poſſunt annumerari: Quia non ſine cauſa eos priùs tempus longinquum omni tam Reipublicæ quam Eccleſiæ formâ deſtitutos manſuros & tum demum convertendos eſſe dicit, adeoque omnes illas converſiones, quæ ante impletum illud tempus factæ ſunt, à ſe intentas non eſſe oſtendit. Dicat vero, qui contrariam fovet ſententiam, quodnam ſit tempus, ſeu ſeculum, quo primùm dici potuerint dies illi multi fuiſſe impleti, & à quo primùm converſio hæc incœperit. Sane qua certitudine ipſe certum horum dierum terminum ſtatuere, & affirmare potuerit, hoc vel illo ſeculo vel anno eum eſſe impletum, & ab eo tempore incipiendam eſſe converſorum recenſionem, eadem ego certitudine potero probare, hoc, quod ipſe ſta-

tuit tempus, non esse dierum illorum terminum, neque ex eo incipi posse conversorum recensionem: Quin quo longius ponatur tempus, eò certiora pro complemento ejus argumenta adduci poterunt. Cum ergo certum temporis punctum indicari nequeat,& tamen quis conversionem dictam impletam esse evincere voluerit, is probet necesse est , talem *dies multos* post primò ablatum Principem, sacrificium, &c. factam esse Judæorum conversionem , qua gens Judaica conversa esse dici possit. At talis inde ab initio Novi Testamenti nulla facta est: Quinquies mille enim, qui circa annum Christi 1412. cum Hieronymus de S.Fide, Judæus conversus coram Benedicto XIII. & Cardinalibus, in frequentissimo Christianorum ac Judæorum conventu librum contra Judæos à se conscriptum publice in Hispania legisset, Davidem Regem suum (si modo fides huic rei haberi potest] quæsivisse feruntur, tota gens Judaica, cum vix & ne vix vigesimam vel tricesimam ejus partem constituant, dici non possunt: Sicut nec illi, licet millenarium numerum excesserint, quos anno post natum mundi Salvatorem 1505. cum finito illo, quem per universum terrarum orbem ad adventum Messiæ accelerandum instituerant, anno pœnitentiali, Messias non adventasset, Evangelii luce illuminatos esse perhibent. Ergo conversio, quæ in loco hoc prophetico futura dicitur, hactenus facta non est.

§. 17. 3. Conversione hac, de qua Hoseas agit, maxima Judæorum pars, ut dictum, converti debet. At in *hunc usque* diem maxima certe pars inconversa manet, vivuntque Judæi adhuc in statu illo, in quo eos Hoseas victuros prædixit. Ergo conversio hæc, quæ hic indicatur, nondum impleta esse potest. Tempus autem, in quo jam inde ab excidio Hierosolymitano usque huc degunt, esse dies illos multos, quos Propheta ipsis obventuros nunciat, probatione aliqua indigere non puto. Si enim statum eorum, qualis hodie est, & à multis temporibus fuit, serio intueamur, *videmus eos sine Rege & Principe*, sine imperio & ulla Reipublicæ forma aliis quibusque subjectos & venundatos nihil minus quam Sceptrum habere; [Solent equidem multa hic de Sceptro penes sese adhuc existente Judæi oggannire,

gannire, nunc in Persia, nunc in Scythia, nunc ultra fluvium שבתיון Sabbathicum, nunc etiam in Germania & Italia illud residere asserentes, quæ pluribus hic à me enarrari & refutari possent; verum cum nugas illas indicasse refutasse sit, atque in quæstione hac non tàm cum Judæis, quàm cum illis, qui Sceptrum Judæorum dudum ablatum esse ambabus concedunt, res mihi sit, longior esse nolo: peti tamen ea possunt ex Helvic. Elench. Jud. Append. I. ad Except. Spec. 7. & Joh. Henr. Leusler. Disp. de Sceptro Judæ ablato §. 30. seqq.] Videmus porro eos *sine sacrificiis & Ephodo, imô sine omni vero DEI cultu esse*: Quamquam enim Deum Patrem videantur honorare, tamen cum Filium ejus unicum ab æterno ex Essentia Patris genitum, totius mundi Redemtorem non agnoscant, cultus ille pro vero haberi non potest. Quandoquidem *qui negat Filium nec Patrem habet*, (f) *& qui non honorat Filium, non honorat Patrem.* (g) Denique videmus eos etiam *sine* מצבה & תרפים *vivere.* Idololatriam enim externam nullam exercent, neque etiam, si vellent, statuas erigere & idola formare ipsis liceret. Id quod & ipsi fatentur Judæi. R. D. Kimchi. (h) כי ימים רבים ישבו בני ישראל ואלה הם ימי הגלות שאנחנו בו היום ואין לנו לא מלך ולא שר מישראל כי ברשות הגוים אנחנו וברשות מלכיהם ושריהם וכו' i. e. Nam dies multos sedebunt filii Israël. *Illi vero sunt dies captivitatis ejus, in qua nos hodie sumus, neq; ullus nobis Rex aut Princeps est ex Israele; quia sub potestate gentium, & sub potestate Regum & Principum earum sumus &c.* (i)

f) 1. Joh. II. 23

g) Joh. V. 23.

h) in h. l.

i) add. R. Alschech. in פראורת ה הצובאורת ad Hos III. f. 101. col. 4. lin. 25. 26. 27 R. Mos. ben Isasch. Lev. in לקח טוב post Proph. minor. cujus verba vide citata ad Qu. I. §. 12.

§. 18. Nec potest hic urgeri paritatis ratio, quod, sicut conversio gentium non est facta simul & semel, sed successive; ita quoque Judæi sparsim & successive sint convertendi. Quia (*a.*) Non sequitur: Qualis fuit gentium conversio, talis etiam futura conversio Judæorum. (*b.*) Licet gentes in genere spectatæ non simul & semel, sed successive sint conversæ; attamen, si quamvis gentem & nationem in specie consideres, conversio semper fuit numerosa, & quævis natio, licet principia fuerint gravia, fere simul & semel uno impetu fidem Christianam amplexa est. Non ergo Judæi, quippe qui unicam tantùm gentem constituunt, gentibus omnibus in genere spectatis, sed uni alicui

alicui genti in ſpecie conſideratæ comparari poſſunt; &, ſi paritatis ratio debeat urgeri, dicendum potius eſſet, Judæos, cum principia valde ſint gravia, tandem aliquando uno impetu ſimul & ſemel Davidem Regem ſuum eſſe quæſituros. *(c.)* Si paritatis rationem hic urgere liceret poſſem ego ita concludere: Quemadmodum gentes, ob idololatriam aliaque ſcelera in immunditiam & reprobam mentem à Deo traditæ, tempore Vet. Teſtamenti ſparſim & raræ admodum ad Eccleſiam acceſſerunt; tandem vero Evangelio per Apoſtolos ſibi annunciato, maxima multitudine ad ſpiritualem domus DEI montem confluxerunt; ita etiam Judæi, ob rejectum Meſſiam & Evangelium (k) à Deo excœcati, ad hoc usque tempus ſparſim & rari convertuntur; tandem vero reliquiæ eorum ingenti multitudine Eccleſiæ Chriſti ſeſe adjungent. *(d.)* Quamquam modum & tempus hujus ſperandæ adhuc converſionis determinare nequeo; non tamen uno momento, hora, die, menſe eam completum iri crediderim. Ideoque ſi per unius, duorum, trium, pluriumve annorum ſpatium duret, etiam hoc modo ſucceſſive, ſed contiguè facta dici poſſet.

k) Act. XIII. 46.

QUÆSTIO III.

An ergo converſio hæc etiamnum ſit futura?

§. 1.

Negant quæſtionem plerique fere, quos vaticinium hoc vel poſt captivitatem Babylonicam, vel initio Novi Teſtamenti, vel in converſionibus particularibus impletum ſtatuere vidimus. D. Joh. Pappus: (l) *Quod ad quæſtionem illam attinet, de univerſali Judæorum, qui ſuperfuturi ſunt, converſione ante noviſſimum diem, ejusdem farinæ commentum arbitror, cujus eſt illud de Antichriſto orituro ex ſtirpe & tribu Dan, & regnaturo annis tribus & dimidio. Non quidem noſtrum eſt, ut pœnitentiam negemus cuiquam hominum, ſive Judæorum, ſive Gentilium: Sed neq; noſtrum eſt, de univerſali alicujus gentis converſione comminiſci, quod ſacra non prædixerint litera.* D. Cramerus: (m) *Quæritur an*

l) in Hoſ. III. p. 251.

m) Part II. de regno Chriſti cap. IV. q. 6. p. 332

an Paulus illustrem aliquam & universalem omnium & singulorum Judæorum conversionem polliceatur, ita ut Judæi catervatim & simultanee ante novissimum diem Jesum Christum sint agnituri, & adhuc ad fidem Christianam accessuri? Non autem hanc mentem esse Apostoli, patet ex collatione verborum, quæ idem de plenitudine gentium prænunciat. &c. & alii, quorum verba adducit Dn. D. Calovius in Bibl. Illustr. ad Rom. XI. 25. His addi potest Georg. Grossehain, qui in sæpius nominata Diatribe de Cathol. Jud. Conversione unum hoc agit, ut loca Scripturæ Conversionem hanc promittentia destruat. Præloquium vero tractatus hujus ita orditur: *Catholicam Judæorum hodiernorum conversionem, quam propediem ante novissimum pantocriticum diem futuram vulgus perperam credit, &c. ego modeste repudio, atq; insuper ingenue fateor, illam alio fere æquiori nomine solide pieq; doctis venire non posse, quam si opinio mere humana audiat.* Pro negativa etiam adduci solet B. Lutherus: (n) Vom gantzen Hauffen mag hoffen wer da will/ Ich habe da keine Hoffnung/ weiß auch davon keine Schrifft. Können wir doch unsere Christen den grossen Hauffen nicht bekehren/ müssen uns am kleinen Häufflein begnügen lassen: Wie viel weniger ist es müglich diese Teuffelskinder alle zu bekehren. Denn/ daß etliche auß der Epistel zum Römern am XI. cap. solchen Wahn schöpffen/ als solten alle Juden bekehret werden am Ende der Welt/ ist nichts: S. Paulus meinet gar viel einanders. Qui tamen conversionem tantum simpliciter Catholicam totius gentis videtur negare, quam nec ego futuram assero: Insignem enim & numerosam Judæorum conversionem etiamnum futuram eum credidisse, ex adducendo in sequentibus testimonio apparebit.

n) in Lib. de Schemhamphor. Tom. VIII. Germ. Jen. f. 109. col. 1.

§. 2. Verum *affirmativa omnino hic videtur apprehendenda.* I. *Ob vaticinii hujus veritatem.* Nam impletum illud hactenus non esse, ad Qu? II. uberius fuit demonstratum; At vero verba DEI veritas sunt, (o) nec ullum unquam eorum excidit, quod non evenerit, (p) neque etiam in posterum excidet. Ergo sequitur, quod etiamnum sit implendum.

o) Ps. CXIX. 151. 160. Joh. XVII. 17
p) Jos. XXI. 45. c. XXIII. 14. 1. Reg. VIII. 56.

§. 3. II. *Ob loci Paulini perspicuitatem.* Ita enim Paulus Rom. XI. v. 25. 26. *Nolo vos ignorare, fratres, Mysterium hoc, [ut*

ne sitis apud vosmet ipsos sapientes] *obdurationem ex parte Israeli evenisse, usq; dum plenitudo gentium introierit; & ita totus Israel salvabitur, sicut scriptum est: veniet ex Zion ille Redemtor, & avertet impietates à Jacob, & hoc est illis à me pactum cum abstulero peccata ipsorum.* Qui locus, quamvis variis doctorum explicationibus adeò sit nobilitatus, ut, quid eligas, primo intuitu non immeritò dubites; tamen si textus penitiùs inspiciatur, non nisi de insigni etiamnum speranda Judæorum conversione & salvatione agere videtur. Id quod variis hìc & certissimis probare possem argumentis, ni nimis longum illud fore, vererer. Discursui itaque ipsi potiùs ea reservabo.

§. 4. III. *Ob innumeras alias promissiones*, quæ, licet ex omnibus in specie speranda etiamnum insignis Judæorum conversio demonstrari nequeat, in genere tamen fœderis divini, cum Patriarchis initi, de non in perpetuum rejiciendo populo Judaico, immutabilitatem, Judæorumque, licet longe lateque dispersorum, ex omnibus oris terræ recollectionem spiritualem, i.e. conversionem promittunt. Lev. XXVI. v. 42. 43. *Utiq; recordabor Fœderis mei cum Jacobo; adeoq; fœderis mei cum Isaaco, atq; fœderis mei cum Abrahamo recordabor, cum terra deserta ab illis acquieverit in sabbathis suis, dum esset desolata illis, & illi acquieverint in pœna iniquitatis suæ? quia multis modis judicia mea spreverunt, & statuta mea fastidivit animus eorum:* ואף גם זאת *Sed insuper hujus etiam recordabor, cum erunt in terra inimicorum suorum, me non sprevisse eos, neq; fastidivisse eos ad consumendum eos, irritum faciendo fœdus meum cum eis, quia ego sum Dominus Deus eorum.* (q) Es. X. v. 21. 22. *Reliquum* (quod scil. ex tota gente variis calamitatibus pressa & hinc inde dispersa remansit) *revertetur, reliquum Jacobi, ad Deum fortem robustissimum. Nam si fuerit populus tuus Israel sicut arena maris, reliquum revertetur ex eo.* (r) Residuum vero illud nondum vidimus ad Deum esse conversum. Ergo conversio ejus etiamnum est speranda. Cap. XI. v. 10. 11. 12. *Erit etiam tempore illo,* [Novi Testamenti] *ut ad eum, qui è radice Jischai stabit in signum populorum,* [ad Messiam] *gentes consultura veniant, & sit requies ejus gloriosa. Erit etiam tempore illo, ut adhibeat Domi-*

q) conf. Deut. IV. 27. seqq.

r) conf. Rom. IX. 27. cap. XI. 5.

nus secundo manum suam, [cum prima vice eam repulerint (s)] *ut acquirat reliquum populum suum, qui reliquus fuerit ab Assyria, & ab Ægypto, & à Pathroso, & ab Æthiopia, & à Helamo, & à Schinhare, à Chamatha, & à regionibus maritimis. Et sublato signo gentibus recipiat depulsos Israelitarum, & dispersos Jehuda congreget ex quatuor oris terræ* &c. Ezek. XXXVII. v. 16. seqq. *Sume Tibi lignum unum, &c. hæc dicit Dominus Deus: Ecce Ego assumam filios Israel de medio nationum ad quas abierunt, & congregans eos undiquaq; reducam eos in terram suam,* [i.e. ad Ecclesiam Christi] *& efficiam eos gentem unam in illa terra in montibus Israel; & Rex unus erit ipsis omnibus Rex; neq; erunt amplius duæ gentes, neque dividentur amplius in duo regna deinceps, &c. Et servus meus David Rex erit super ipsos, ac Pastor unicus erit omnibus istis cum pepigero ipsis fœdus pacis, fœdus perpetuum futurum cum ipsis* &c. Hos. I. v. 10 11. *Erit pro eo, quod dicitur istis; non populus meus estis, ut dicatur illis: filii DEI fortis viventis estis. Idque futurum est, quando congregantes se Judæi & Israelitæ unà, & præponentes sibi caput unum ascendent è terra hac: cum magnus fuerit dies Iisreelis.* (t) 2. Cor. III. v. 15. 16. *Ad hunc usque diem cum legitur Moses, velamen cordi eorum impositum est. Quando vero sese converterit ad Dominum, tolletur velamen illud.*

s) Act. XIII. 46.

t) add. Jer. XVI. 14. 15 Zeph. III. 8 seqq. &c.

§. 5. IV. *Ob admirandam eorum conservationem.* (u) Quamquam enim inde ab excidio Hierosolymitano gravibus semper calamitatibus & exiliis jactati, & per totum terrarum orbem diffusi sint, manent tamen ab omnibus aliis gentibus distincti, neque cum eis permiscentur. Id quod non leve præbet argumentum statuendi, Deum singulare quippiam populo huic destinasse, quem in finem illum tam distincte servet & regat. Nec est, quod regeras: eodem modo etiam Turcas, Ethnicos, Tartaros & omnes alios impios conservari, neque tamen inde argumentum pro numerosa eorum conversione duci posse. Nam diversa ratio est conservationis Turcarum, Ethnicorum, &c. & Judæorum: Illa ordinaria est, qua DEUS totum mundum omnesque creaturas conservat, neque adeo admiranda, cum singuli sedes suas & regiones patrias non relinquant, adeoque faci-

u) Quod arg. præter alios urget Hoornb. d. l. Proleg. §. 24. p. 38.

le ab aliis gentibus distincti manere possint. Hæc vero extraordinaria; gentem enim, quæ nullum certæ habitationis locum, nullasque sedes proprias habens, quaquaversum dispersa & padabunda vagatur, cum aliis, inter quas vivit, gentibus non commisceri, quis non miraretur? Præterea eo firmius ex conservatione Judæorum, pro conversione eorum insigni etiamnum futura argumentum peti potest, quò plures de ea in sacro Codice promissiones extare vidimus. At contra de Turcarum, Tartarorum, &c. conversione insigni nullæ speciales habentur promissiones; ergo ex sola conservatione ea futura probari non potest.

§. 6. V. *Ob Patrum, aliorumq; non exigua eruditione & pietate præditorum virorum consensum.* Patres fere omnes insignem hanc etiamnum futuram Conversionem docuerunt, nisi quòd quidam ex illis ad sententiam illam, quam hodierni retinuere Pontificii, de Enocho & Eliâ conversionem hanc operaturis, nimis inclinarunt, quem errorem meum non facio. Origenes: (w) *Cum plenitudo gentium fuisset expleta, & æmulatione salutis eorum cœpisset Israel discutere à semetipso cæcitatem cordis, & elevatis oculis suis Christum verum lumen aspicere, ita sec. præcedentes Prophetias salutem, quam obcœcatus amiserat, Israel quæreret instigatus, dicens apud semetipsum illud Propheticum: Revertar ad virum meum priorem, quoniam melius mihi erat ante quam modo. Quod autem hæc illis sint promissa per prophetias, in multis quidem propheticis voluminibus invenitur; ponamus tamen, quod sufficiat ad præsens, unum de* Hieremia *testimonium, ita continens:* Si exaltetur cœlum in excelsum, & terra humilietur deorsum, ego non reprobabo genus Israël pro omnibus quæ fecerunt. *Si ergo pro eo ut introiret gentium plenitudo, cæcitas facta est in Israel pro omnibus quæ fecerunt, sine dubio cum ingressa fuerit gentium plenitudo, cæcitas cessabit.* & p. p. *cum plenitudinis gentium fuerit impleta dispensatio, etiam ipsi misericordiam consequentur.* Hilarius: (x) *Dispersi quidem interim circum omnes fere gentes, sed conspersione eorum sancta atque radice liberabuntur,* & p. p. *aversâq; impietate de execratione & mendacio avellentur, & hoc in consummatione: quia cum intraverit gentium plenitudo, tum, quicquid*

(vv) L. 8. ad Rom. XI. Tom. III. Opp f. 206 ed. Navar. Paris. anno 1512.

x) in Ps. LVIII p. 488. ed. Basan. 1530.

quid Israel est reliquum, salvabitur. Ambrosius: (y) *Unigenitus DEI Filius senilis jam ætatis & fessum suscipiet ultimis temporibus populum Judæorum, non secundum illius merita, sed secundum electionem suæ gratiæ, & imponet manum super oculos ejus, ut cœcitatem auferat. Cujus ideo distulit sanitatem, ut postremus crederet, qui ante non putavit esse credendum, & prærogativam superioris dilectionis amitteret. Unde & Apostolus ait: Rom. 11.* Quia cœcitas ex parte contigit in Israël. Hieronymus: (z) *Post passionem Domini usque in præsentem diem paulo minus quam quadringentesimus annus expletur, & quantum temporis resideat usq; ad diem judicii, nec Angeli noverunt, nec Filius. Qui ideo ignorare se dicit, quia nobis non expedit discere. Hi sunt ergo multi dies, quibus infelix synagoga & mulier adultera hordeo pascitur, & sedet contracta, quia cum Christo stare non potest.* & p.p. *Hæc est cœcitas, quæ ex parte accidit Israeli, ut subintraret plenitudo gentium: & tunc omnis Israel salvus fieret: & multo post tempore revertentur, & quærent Dominum Deum suum & David Regem suum.* & p.p. *Præsens capitulum alii Judæorum super Babylonica captivitate interpretantur, quando 70. annis desolatum est templum & altare, & victima & Sacerdotium non fuerunt, & postea sub Zorobabel in sedes pristinas sunt reversi. Alii, ut nos, in futurum deferunt tempus: & quæ sit causa tam grandis offensæ, ut tanto tempore relicti sint, maxime cum idola non colant, præter interfectionem Salvatoris aliam non valent invenire. Ex nostratibus* quoque non pauci hanc sententiam jam olim foverunt, & adhuc *fovent*, inter quos non immeritò primo loco pono Lutherum nostrum, qui in *Postill. Ecclesiastic.* (a) [quem librum maximi semper feciſſe fertur] ita dicit: Hierauß ist gewiß / daß die Juden noch sagen werden zu Christo / gelobet sey / der da kömt im Nahmen des HErrn / diß hat auch Moses verkündiget / Deut. 4, 30. 31. sagend: Wann du geängstet seyn wirst / und dich treffen werden / alle diese Dinge in den letzten Tagen / so wirstu dich bekehren zu dem HErrn deinem Gott / und seiner Stim̃e gehorchen. Dann der HErr dein Gott ist ein barmhertziger Gott / er wird dich nicht lassen verderben / wird auch nicht vergessen des Bundes / den er deinen Vättern

y) lib. de Joseph. Patriarch. c. 14.

z) in Hos. III. 4. 5.

a) in conc: Fest. Steph. super Matth. 23. 39 habita, fol. 132. à fin. edit. quæ Witteb. an. 1543. prodiit.

geschworen hat. Desgleichen sagt Hos. c.3. v. 4.5. Die Kinder Israel werden lange Zeit ohne König/ ohne Fürsten/ ohne Opffer/ ohne Altar/ ohne Leibrock/ und ohne Heiligthum bleiben. Darnach werden sich die Kinder Israel bekehren / &c. Wie auch Azarias 2. Chron. 15. v. 2. 4. sagt mit diesen Worten : Der HERR ist mit euch / &c. Diese Sprüche können nicht anders verstanden werden / als von den gegenwärtigen Juden. Dann sie sind in der vorigen Zeit noch nie kein mahls ohne Fürsten / ohne Propheten/ ohne Priester / ohne Lehrer und Gesetz gewesen. S. Paulus Röm. XI. 25. 26. stimmet auch hiemit überein ; Dieweil er sagt ; Blindheit ist Israel eines Theils wiederfahren / so lange biß die Fülle der Heyden eingegangen seye / und also das gantze Israel seelig würde ; GOtt gebe / daß die Zeit nahe seye / wie wir hoffen. Amen! Philippus Melanchthon, (h) dum dubius est, sententiã nostram non rejicit: *Addit*, inquiens, *vaticinium de conversione Judæorum, quod fortasse ita intelligendum est, futurum ut subinde usq; ad finem mundi aliqui ex Judæis convertantur. Nescio enim an hoc velit, restare adhuc aliquam conversionem magnæ multitudinis circa finem mundi. Id cum sit mysterium, DEO committamus.* Ægidius Hunnius : (c) *Sunt, qui censent, Apostolum sub hoc mysterio subindicare velle, futurum aliquando, ut ante novissimi judicii diem magna Judæorum multitudo atq; cœtus ad Christianam fidem convertatur. Quam explicationem magis & verbis consonam, & præsenti instituto* (salvo tamen aliorum judicio) *accommodam esse reor*, & mox textum apostolicum ἀποφθέγμα : *Dico vobis singulare hoc mysterium; excœcationem illam Israelis seu populi Judaici non esse totalem, sed ex parte tantum : quæ locum habitura est, donec magna illa plenitudo gentium complebitur, & sic deinde totus Israel (per quem synecdochicè maximæ quædam populi Judaici pars juxta usitatum Scripturæ morem intelligitur) salvabitur, conversus scilicet ad verum Messiam*, &c. Nicol. Hunnius : (d) octavum judicii extremi signum ponit, die allgemeine Bekehrung der Juden/ welche Paulus verkündiget / Rom. XI. 25. 26. Moses hat davon geweissaget / Deut. IV. 13. welches nicht wohl anders kan verstanden werden / dann das vor dem Jüngsten

h) In Rom. XI. 25.

c) In Rom. XI. 25.

d) In Epit. Cred. n. 928. p. 624.

Tag

Tage das Jüdische Volck mit grossem Hauffen sich zu Christo bekehren werde. Balthas. Mentzerus: (e) *Nobis illa interpretatio videtur scopo Apostoli vicinior, de magna Judæorum multitudine ante mundi finem ad fidem Christianam convertenda: Ut hic sit sensus: Multi ex Judæis jam sunt rejecti, ut hac occasione gentes in illorum locum surrogatæ salutem consequerentur. Futurum autem est, ut gentibus ad Christum vocatis, per totum terrarum orbem nunquam desint aliqui ex Judæis, & quidem circa finem mundi longe plurimi, qui ejusdem doctrinæ professione se illis adjungant, tanquam ejusdem cum ipsis gratiæ consortes, ut ita totus Israel, hoc est, tota illa Judæorum credentium multitudo inde à Patriarchis ad finem usq; mundi salvetur.* Balthas. Meisnerus: (f) *De conversione Judæorum ante diem novissimum. Hæc luculenter prædicitur ab Hosea v. 5.* Postea revertentur. *Futurum hoc postquam multis diebus sederunt sine Rege, ideoque post politiam Judaicam destructam, & per consequens paulo ante diem ultimum, ut Propheta ipse innuit. Idem prædictum Esa. LIX. 20. & explicatur ab Apostolo Rom. XI. 25. Hæc autem Judæorum conversio 1. fit successive & particulariter, quando subinde quidam ad Christianismum transeunt. 2. fiet simul & notabiliter, quando juxta prædictiones dictas insigniori aliquo modo Judæi ad Christum convertentur.* Maxime Reverend. Dn. D. Spenerus: (g) Wir haben die herrliche Weissagung S. Pauli und von ihm geoffenbahrtes Geheimnüß / Rom. XI. 25. 26. Wie / nachdem die Fülle der Heyden eingegangen / gantz Israel solle seelig werden. Daß also / wo eben nicht das gantze / gleichwol ein merckliches grosses Theil der biß daher noch so verstockt gewesenen Juden zu dem HERRN bekehret werden sollen. Wohin auch wo sie recht untersuchet werden / viele Ort der Propheten in dem alten Testament Hos. 3. 4. 5. ꝛc. zielen werden. Wie denn nechst den alten Kirchen-Vättern / auch fast die vornehmste unserer Kirchen-Lehrer dieses Geheimnüß auß gedachtem Apostolischen Ort bekandt haben. Idem sentiunt Mart. Bucerus, Georg. Mylius, Frider. Balduinus, Matthias Flacius, Joh. Winckelmannus, *in Rom. XI. 25. 26.* Dav. Rungius *Disp. 13. ad Rom. XI.* Joh. Gerhard. *LL. Th. T. IX. Loc. §. 111. in fin.* Hafenrefferus, in templ. Ezek. p. 313. Keslerus, *in disp.*

e) In analyt. d. cap. §. 63. quæ habetur in Disp. Giss. Tom. I.

f) Ad Hos. III. 4. 5.

g) In Piis desid. p. 72.

in diſp.inaug.anno 1627.Jenæ habita, de dictor.V.Teſt.in N.alleg.§.7. Hackſpan.Not.Phil.part.II.adHoſ.III.4.5.& quam plurimi alii, quorum verba, ne in nimiam hæc diſputatio magnitudinem excreſcat, hic addi non poſſunt, videantur, ſi ſingulos authores evolvere non liquet, *Dn.D.Spener. Pia deſideria, edit. Lat. p.152.ſeqq.*ubi plurimorum verba adducuntur. Præterire tamen hìc nequeo Ampliſſ.Dn.Lic.Edzardum,&Dn.Lic.Anckelmannum, Præceptores & Patronos meos, omni obſervantia & perpetuo cultu venerandos, qui primi mihi ſententiæ hujus fundamentum veritatemque ex fontibus ſacris monſtrarunt. *Ex Calvinianis* nobiſcum faciunt Petrus Martyr, Pareus, *in Rom. XI.25.26.* Voetius, *in Diſp.peculari.* Hottingerus, *theſ.Philolog. p.9.* Hulſius, *Theol.Judaic.lib.I.Part.12.p.252.ſeq.*Hoornbeck. תשובת יהודה *proleg.§.24.p.35.ſeq.* Anglus quidam Anon.*in paraphraſ.Rom.XI.v.25.26.* & alii.

h)Adducit ea Gerhard.LL. Theol. Tom.IX Loc.31. de extremo Jud. §.111.

§.7. VI.*Ob argumentorum contrariorum infirmitatem.*(h) Objicitur enim I. *Triplex*, cui Judæi ſubjecti ſint, *maledictio*, primum generalis, Deut.XXVII.15. deinde ſponte attracta, (i) ac denique ipſius Chriſti per os Davidis prolata. (k) Sed R. (α.) Triplici huic maledictioni opponi poſſunt quamplurimæ illæ, quas §. 4. hujus q. III. adduxi, promiſſiones, quibus DEUS ſe nunquam in perpetuum Judæos rejecturum, ſed ſemper eos ſi pœnitentiam egerint, rurſus recepturum promittit; Ideoque nullæ maledictiones tam graves eſſe poterunt, quin ab eis, ſi vera agatur pœnitentia, liberari poſſint. (β) Maledictio prima generalis non Judæis tantum; ſed omnibus hominibus, legem divinam non obſervantibus denunciatur, à qua ut omnes omnino homines liberarentur, Chriſtus maledictio factus per mortem crucis peccata omnium expiavit. (l) Prout itaque nos, quotquot meritum Chriſti vera fide apprehendimus, ab exſecratione legis ſumus liberati; ita etiam Judæi, nunc equidem, quamdiu ſine Meſſia in operibus legis juſtitiam & ſalutem quærunt, maledictioni illi ſubjacentes, ſi Davidem Regem ſuum quæſierint, atque ad Dominum & bonitatem ejus trepide accurrerint, ab ea poterunt liberari. [γ.] Maledictio altera, quam ſibi ipſis imprecati ſunt, gravîſſima quidem,

i) Matth. XXVII. 25.

k) Pſalm. LXIX.24. Pſalm. CIX. 17. ſeq.

l] Gal.III. 13.

& o-

& omnis mali, quod ad hunc usque diem patiuntur, imo etiam obdurationis, quæ ipsis evenit, causa unica est; verum talis ea non est, ob quam in æternum rejecti, aut plane inconvertibiles sint: Contrariũ enim exempla tum eorum, qui ad conciones Apostolorum, tum, qui tempore subsequenti sparsim conversi sunt, docent. Præterea, cum Christus in cruce pro ipsis apud Patrem suum cœlestem interceſſerit, (m) nullum est dubium, quin preces illæ efficaces fuerint, pœnamque quam contumacia sua meriti erant, mitigaverint. Hinc neque (δ.) Maledictio ultima quicquam obstat, quo minus tandem converti possint: quanquam enim oculi eorum in hunc usque diem excœcati sint, ne videant, & aures obturatæ, ne audiant; teste tamen Paulo ex parte tantum excœcatio, & ita etiam maledictio, ex qua illa profluit, Israëli contigit, usque dum πλήρωμα τῶν ἐθνῶν in Ecclesiam Christi introierit, quo facto, excœcatione sublata ipsi convertentur & salvabuntur.

m) Luc. xxiii. 34.

§. 8. Obj. II. *Pertinax mediorum salutis & conversionis rejectio.* Quod Christum in Synagogis suis blasphement, vocantes eum תלוי *suspensum*, & facta ejus mentione subjiciant, *deleatur nomen & memoria ejus*; quod liberos suos jam inde à prima pueritia ad maledicendum Christo ac virgini Deiparæ assuefaciant, &, si quis ex verbo DEI ipsos refellat, aures suas obturent, &c. Verum R. (α.) Facile concesſero, quamdiu in tenebris illis spissimis permanserint. Deoque vocanti reluctati fuerint, eos non conversum iri; Attamen ubi velamen illud Mosaicum, justissimo DEI *judicio oculis & cordi eorum* impositum, erit ablatum, id quod non saltem fieri posse, sed & suo tempore certo futurum esse ex dicto Pauli loco (n) colligo, facile per media ordinaria, per verbi divini prædicationem corda eorum poterunt emolliri. (β.) Quod si tempore Apostolorum, quo nihil minus duri cervice, cordibusque & auribus incircumcisi Spiritui S. restiterunt, (o) Evangeliumque sibi annunciatum blasphemè repulerunt, (p) tot millia corde compuncta conversa sunt & Evangelio crediderunt; Quidni etiam hodie & in posterum Judæi ex verbi divini auditu fidem veram concipere, & in ovile Christi etiam turmatim, prout tum, ingredi possint? Quin (γ.) eò facilior certe, quam speramus, Judæorũ conversio erit, quo magis omnis futuræ liberationis & felicitatis corporalis spes erit sublata. Tempore

n) Rom. xi. 25.

o) Act. vii. 51.

p) Act. xiii. 45. 46.

enim Apostolorum, ante destructam urbem Hierosolymam, nondum tantis premebantur miseriis, poterantque etiam de Republica & legibus suis gloriari; & eversa urbe, spem ejus restaurandæ ex promissionibus forte quibusdam, de spirituali eorum reductione agentibus, ad corporalia beneficia, licet falso, applicatis hauriebant; & tamen tanta multitudine ad ὑπερῶον Apostolicum convolavere: Quidni circa mundi finem, rebus suis conclamatis, terrenis præsidiis & auxiliis destituti, neque Messiam per tot secula frustra exspectatum venire, neque se ex captivitate liberari videntes ad spiritualem Sionis montem revolarent? Ac propterea opus non est, neque hoc, quotquot insignem Judæorum conversionem supereſſe sperant, volunt, ut miracula prius exspectentur, neglectis ordinariis conversionis informationisque Judæorum mediis. Sed si à singulis Ecclesiæ membris summa in eis convertendis cura adhibeatur, atque obstacula hactenus conversionem illam impedientia removeantur, DEUS etiam hic, sublatâ illâ, quam ad certum tempus ipsis, ob spretum priùs Evangelium obvenire permisit, cœcitate, per ordinaria media est operaturus. *Etsi contumacia Judaica hodierna ordinariâ, ut sic dicam, securi perfringi nequeat; poterit tamen si cunei adhibeantur, poterit clarum mane intrare fenestras, si obices removeantur, poterint, si non magnæ segetes, manipuli tamen in Christi horrea comportari, etiam ordinariâ viâ.* Sic B. D. Danhavverus, (q) (cum in proxime præcedentibus dixerat, insignem Judæorum etiam exspectandam conversionem, quamvis ab Apostolo non intendatur, *non tamen ab eo* excludi.) Adcoque & hæc ordinaria erit conversio, qua ordinis divini catena, ut *fides ex auditu* veniat, (r) non solvetur, & talis, quæ, quia præter multorum opinionem accidet, admiranda equidem, non vero miraculosa dici mereatur.

q) Apocal Myst. Apost. Rom. XI. 25. Sect. II. Art. 2 p. 101.

r) Rom. X. 17

§. 9. Obj. III. *Pauli prædictio.* Quod revelatio Anti-Christi futurum sit ultimum DEI opus maxime memorabile ante mundi finem. (s) At, si inter Anti-Christi revelationem & mundi finem universalis sive insignis Judæorum conversio intercedere deberet, Apostolum non exposuisse proximum adventus Christi signum. Sed Rs. (a.) Paulus quidem dicto loco Anti-Christum ante mundi finem revelatum iri, non vero ultimum DEI opus maxime memorabile revelationem ejus futuram indicat; dicit diem Domi-

s) 2. Thess. II. 8.

Domini non venturum ante revelationem Anti-Christi, non autem, quod proxime post eam sit venturus. (β.) Apostolus revelationem Anti-Christi non exponit proximum adventus Christi signum, ita ut nihil inter hunc & illam intercedere possit aut debeat; sed τὸν ἄνομον manifestatione adventus Christi totaliter abolendum nunciat, qui antea Spiritu oris ejus, i.e. prædicatione Evangelii, quod est verbum Christi ex ore ejus profectum, successive & partialiter sit conficiendus. (γ.) Seculum jam est, & quod excurrit, ex quo revelatio Anti-Christi Romani facta est, & multa tamen inde ab eo tempore opera memorabilia DEUS præstitit, quæ omnia hic enarrari nequeunt: Unde sequitur, aut revelationem Anti-Christi proximum adventus Christi signum, inter quod nullum DEI opus aliud memorabile intercedere debeat, non esse; aut Christum jam dudum ad judicium venire debuisse. Nihil ergo obstat, quo minus inter revelationem Anti-Christi & totalem ejus in fine mundi futuram abolitionem, insignis Judæorum conversio futura sperari possit. Imo, cum ex dictis Scripturæ locis nondum impletis infallibiliter colligere liceat, conversionem hanc ante diem novissimum etiamnum esse futuram, poterit & hæc adventus Christi signum dici.

§. 10. Obj. IV. *Duratio vocationis gentium*, quæ Luc. XXI. 24. 25. usque ad mundi finem videatur extendi. At R. (α.) Non equidem nego, quin certissime credo, vocationem gentium usque ad mundi finem duraturam; utrum autem in loco indicato id promittatur, *dubito*: cum ibidem Christus non de spirituali Hierosolyma à gentibus fidem veram amplexis, occupanda & calcanda; sed de corporalis Hierosolymæ vastatione ejusque conculcatione, usque ad impleta gentium tempora, duratura loquatur. (β.) Denegatur ibidem Judæis corporalis Hierosolymæ semel vastatæ possessio; non vero Hierosolymæ Spiritualis, i.e. Ecclesiæ Christi, occupatio. (γ.) Vocatio gentium ad finem mundi durans insignem hanc conversionem Judæorum non impedit. Non enim hæc post finitam eam, seu tum demum, ubi omnes gentes, quotquot salvandæ sunt, in regnum gratiæ introierunt, sed durante etiam gentium vocatione futura est; Et sine causa illud ex Rom. XI. 25. colligitur, quandoquidem πλήρωμα τῶν ἐθνῶν, *plenitudo gentium* ibi, ut & in aliis Scripturæ locis, non nisi *ingentem*

 gentium

t)conf. Gen. XLVIII. 19 Es. XXXI, 4. &c.

gentium multitudinem notat,(t) adeoque conversio hæc non pos omnes gentes vocatas,sed, ubi magna multitudo gentium introierit,futura dicitur.

§.11. Obj.V. Quod *Christus & Apostoli paucos admodum credentes,multas vero hæreses* & corruptelas sub mundi finem futuras prædixerint. Verum & hoc salvâ nostrâ sententiâ concedi potest: Quanquam enim Judæorum convertendorum reliquorumq; fidelium,si absolute eos spectes,magnus futurus est numerus; tamen, si eos cum impiis & hæreticis circa finem mundi existentibus compares, paucos eos esse non immerito dixeris. Non ergo Judæorum conversio & credentium paucitas se invicem tollunt.

§.12. Obj.VI. *Cor Dei paternum in omnes universaliter & ex æquo misericors.* At si circa mundi finem magnæ Judæorum multitudini gratiam suam conversivam impertiret,cum paucis admodum hactenus eam dederit, sequeretur Deum non in omnes universaliter, neque ex æquo misericordem esse. Sed R. (α.) Prout non negatur universalis Dei erga omnes homines misericordia, quâ omnes converti & salvos fieri vult; ita etiam justitia ejus, quâ incredulos & contumaces punit,negari non debet. Voluit equidem ut Judæi omnes Messiam agnoscerent,atque in eum credentes salvarentur: Verum cum illi oblata sibi à Deo beneficia rejecerint, contumaciam eorum optime perspectam habens,ex justo judicio cœcitatem eis & obdurationem evenire permisit,ut videntes non videant , audientes non audiant, neque intelligant. Interim tamen, neque *sic absolute eos rejicietis,ex gratiâ suâ,cœcitatem* illam non omnibus , neque omni tempore duraturam , sed ἀπὸ μέρους *ex parte* tantum immisit, suo tempore auferendam. Sedere debent sine vero Dei cultu,non כל הימים *omnibus diebus*; sed ימים רבים *diebus multis.* Hinc quod rari jam convertantur justum judicem,quod tandem ingens multitudo Messiam quæsitura est, Patrem misericordem ostendit. (β.) Si universalem DEI erga omnes amorem non minuit, quod in gentes incredulas tempore Vet.Test. gratiæ divinæ rores parce tantum, sub Novo Testamento autem imber largus destillavit; non quoque eum minuit, quod hodie,ut & præteritis temporibus, pauci tantum convertuntur, finitis vero diebus illis, de quibus Hoseas loquitur, quamplurimi Judæorum converti debeant.

§.13. Ex

§. 13. Ex his itaque, quæ dicta hactenus sunt, colligo: Non quidem absolute universalem; sed *insignem etiamnum, & admirandam numerosamq;* ante ultimum mundi nihilum, *exspectandam esse Judæorum conversionem, quâ* בני ישראל s. πᾶς Ισραὴλ i. e. *maxima Judæorum pars conversa dici possit.* Neutiquam tamen talem eam futuram esse puto, qualem somniant Judaizantes *Chiliastæ*, qua Judæi omnes post occisum Anti-Christum converti, & conversi in terram Canaan reduci debeant, ubi reædificatis Hierosolymis Monarchiam sint erecturi, omnes hostes suos debellaturi, fideles secum conjuncturi, infidelibusque in angulos mundi relegatis alta pace fruituri. Quale commentum legitur in *Onere Ecclesiæ* Scriptoris Pontificii, Anno 1519. adornato, anno 1620. recuso. Quod somnium quoque fovet & enarrat supra citatus Autor anonymus, *Habite en Sion*, in dicto tractatu quem *Judæorum excitabulum matutinum* appellat. [Hunc refutavit haud ita pridem Clarissimus Dn. Rumetsch. in *Scediasm. Historic. Theolog. de conjecturis ultimi temporis*, &c.] Eandem cantilenam Judæis præcinit Præ-Adamita Isaacus Peyrerius Gallus in Epistola ad Synagogas Judæorum universas, quotquot sunt per totum terrarum orbem sparsæ, quam calci systematis sui Theologici ex Præ-Adamitarum hypothesi adjecit. (u) Neque à sententia hac alieni videntur esse ex Calvinianis, Cutio Prof. quondam Basileensis, [qui libro, de amplitudine regni Christi, probare satagit, *numerum salvandorum multo majorem fore, quam damnandorum, & Judæos omnes ante extremum Judicium ad veram Messiæ agnitionem convertendos esse.*] Thomas Brightman, Angl. (w) & Joh. Henr. Alstedius. (x)

§. 14. Neque etiam talis ea futura est, qualem exspectant *Pontificii*, qui non modo præter, sed & contra Scripturam, veterum quorundam, Augustini, (y) Joh. Chrysostomi, (z) Theodoreti & Bedæ, (a) [quorum verba vide adducta à *Danhavvero in Apocal. Mysterii Apostol. Rom. XI. 25. 26. Sect. II. Art. I. p. 75. seqq.*] autoritatem secuti, Enochum & Eliam in novissimis temporibus redituros, gentemque Judaicam Anti-Christo dudum obsequiosam Christo lucrifacturos esse fingunt, sententiam eam aut de fide, aut fidei proximam esse pronuntiantes. (b) Quo errore, ut & præcedente illo Chiliastarum somnio pluribus enarrando & refutando, cum illud sufficienter jam à Theologis nostris passim factum sit, superscdeo.

u) Cujus verba adducit Rumetsch. d. l. Sect. IV. §. 2. p. 113.

vv) in annot. ad Apoc. cap. XX. p. 663.

x) in Diatrib. de mille ann. apocal. p. 12

y) Lib. XX. de C. D. c. 29.

z) homil. 58 in Matth. & homil. 19. in Ep. ad Rom.

a) ad Rom. XI. 25

b) vide Riber. in Hos. III. 4. n. 26. Perer. ad Rom. XI. 25. p. 612.

§. 15. *Quan-* Maly.

Malv.lib.XI. de Antichr. cap XIV.& XVII,Bellarm.Lib.III. de R.P.c.III. & VI.Corn. àLap ad Apoc. VII. p. 148. Contz. ad Rom. XI. 25.q.1.& alios.

§. 15. *Quando, & quo temporis puncto Conversio hæc futura sit*, quæsi quidem hic etiam posset; Sed cum ex Scriptura S. id demonstrari nequeat, nimis curiosus hic esse nolo: Quin potius ignorare me certum tempus fatebor, ne vel id, de quo certi quid afferri non potest, demonstraturus, & tempus & operam perdam, atque intelligendo faciam ut nihil intelligam, vel in ea, quæ DEUS arcano suo consilio reservavit, inquirens, similes pœnas luam, quas Bethschemeschithæ in arcam Domini ex temerâ quadam curiositate introspicientes, quorum quinquagies mille & septuaginta uno die interfecti exemplo suo posteros docent, arcana DEI curiose nimis non esse perscrutanda.

§. 16. Ita quoque *de numero convertendorum* nihil certi affirmare ausim. Optime eum habet cognitum, qui omnia novit, Deus. Neque enim mihi Cornelius à Lapide (c) & Malvenda (d) persuadebunt, ut credam, in fine mundi ex singulis Judæorum tribubus duodecim millia ad Christum conversum iri, quæ per duodecim multiplicata faciant 144000. quandoquidem in loco illo Apocalyptico, (e) ex quo probare id volunt, obsignandi dicuntur, non soli Israëlitæ juxta carnem, sed Israëlitæ spirituales, quotquot Christo adhærent, iique non etiam convertendi, sed jam conversi, custodiendi à periculis lapsus & Apostasiæ: Præterea numerus duodenarius mysticus est, adhibeturque, non, quod tot conversorum præcisè fuerint, sed ut indicetur longe plurimos ex omnibus gentibus, tribubus, populis, & linguis collectos ab angustiis illis esse custodiendos.

c) in Apocal. VII.
d) lib. 2. de Antichr. cap. 17. p. 203.
e) cap. VII, 4. seqq.

§. 17. *De mediis* conversionem hanc ex parte nostra promoventibus, quædam etiam addere statueram; sed, cum discursus hic præter intentionem creverit, ne justo sim longior, ea prætereo. Possunt vero ea videri exposita ab Hoornbeck, in sæpius citat. תשובת יהודה prolegom. §. 14. seqq. & aliis.

§ 18. Hæc sunt, quæ in præsentiarum de conversione reliquiarum Judaicarum etiamnum exspectanda, divino adjutus auxilio monere volui, non ut cuiquam, quid sentire debeat, præscriberem, aut aliter statuentes arguerem erroris; sed ut, quid loci nostri Prophetici veritas suadere fuerit visa, indicarem, meque aliosque ad impendendam in promovendo divino hoc opere operam excitaturus. *Tu vero, Lector Benevole*, quisquis es, *non tam meâ, quam* Tui ipsius Judæorumque causâ pie hæc tecum reputa, atque æquo animo æquus adesto Judex, &, si quid fortè ego, qua sum imbecillitate, minùs viderim, aut observaverim parum, ignosce; vel si quæ, in quibus admonendus sim, inveneris, amicè admone: Neque enim, cum homo sim, illud quod humanum est, à me alienum puto, neque etiam, cum Ambrosio Ep. 31. ad Imper. Valent. *pudor erit transire ad meliora*. Nihil jam addo, quàm votum illud Davidicum, (f) quod is suo olim tempore nomine Ecclesiæ Israëliticæ, ut à Tyrannorum oppressione & captivitate spirituali liberaretur fundebat, eodem hodiernorum quoque Judæorum salutem & spiritualem ex captivitate liberationem, cum piis omnibus ardentissimè exoptans:

f) Ps. XIV. 7.

מי יתן מציון ישועת ישראל בשוב יהוה
שבות עמו יגל יעקוב ישמח ישראל:
יהי שם יהוה מבורך מעתה ועד עולם:

EN, recutitorum qui vult audire reorum,
En Patronus adest, optimus *Hamelius*.
Cui pietas cordi, cui sunt mysteria Christi,
Cui non fucatæ Relligionis opus.
Judæos gestit laudans Hebræus haberi;
Juraque sacratis reddere Christicolis.
An bene conveniant & in una hæc sede morentur,
Hamelii nostri docta tabella docet.
Vellem Judæis bene, nï spes maxima Gentis
Dudum adversæ nunc ante locata foret;
Iudæum cecidisse reor; *reliquum*, quod oberrat,
Exiguo numero sæcla futura dabunt.
Israël extremo hic mundi sub tempore *mixtus*
Gentibus ex paucis præstat *ovile DEI*.

Æstimatissimæ eruditionis flore fructibusq; prædivitî
DN. HAMELIO,
Amicissimè adgratulab.
PHILIPP. LUDOV. HANNEKENIUS, D.

CArmine complectar virtutes, *inclyte Hameli*,
Queis clares, raras? An pia vota petis?
Novimus ingenium, pietatem, mentis acumen,
Linguas divinas, notitiamque sacram.
Quæ citra fastum submissa mente parâsti
Dona superna tenes, dona superna probas.

Hæc pauca festinante calamo honoris & amoris ergo
scribebat clarissimo DN. HAMELIO, Amico
suo & Fautori pie colendo
KILIANUS RUDRAUFF, Th. D. & Prof.
& p.t. Decan. Fac. S.

AD JUDÆOS

Απειθάζοντας καὶ ἀπελπίζοντας

Vertiginosos istos Verpulos,

Hominum genus, paratum ad legendum, Cœcum ad intelligendum, durum ad credendum.

חומץ בן יין

Acetum Vini prolem,

Majorum suorum, Sanctissimorum Patrum
Filios degeneres, & dissimilimos.
Jam ubique terrarum per cIↃ IↃc annos
Dispersos, palabundos, cœli Solique ac Patriæ suæ extorres,
Vagantes, *sine Rege, sine Principe, sine sacrificio,*
Sine Statua, sine Ephod & Teraphim.
Quibus nec Advenarum jure terram patriam saltem
Vestigio salutare conceditur.
R. Hillel, sapientissimus Hierosolymitanæ quondam
Academiæ Rector
in פרקי אבות
אם לא עכשיו אימתי׃
Si non jam, ecquando tandem?
אל תפרוש מן הצבור
ואל תאמן בעצמך עד יום מותך׃
Ne segreges te ab Ecclesia,
Neq; credas tibi ipsi, usq; ad diem mortis tuæ:
Dominicus Bialexius in zelum Christi &c.

Petri de la Cavalleria.

ECquid *Hebræo* supereſt misello,
Quo suos sensus foveat protervos?
Vel quid *insano populo* ferenti
Nomina *Sarræ?*
Infidi, posthæc dubium sedere
Pectore in vestro poteritnè quidquam,
Zelus hic cum tam validè refellat
Dogmata vestra?
Non magis Phœbi radiis nitescit
Terra, depulsis plenius tenebris;
Infido quàm nunc nitidè patescunt
Cuncta cuique.
Quisquis es veræ FIDEI repugnans,
Exue errores nimium tenaces;
Indue excelsi FILIUM tonantis
Denique CHRISTUM.
Sin minus, vivis rationis expers;
Dæmonum defers animam futurã,
Eligas, quod tu, meliora cernens,
Deteriora.

En JUDÆE *tibi sunt, en tibi perfide fila:*
Labyrintheis flexibus egredere!

Quæritur; *An quemadmodum ante noviſſimum diem, Generalis quadam, vel certè inſignis Judæorum converſio ſit expectanda*, uti diſputant Thomas, Cajetanus, Sotus, Thyræus, Jacob. Naclantus, & omnes ferè Pontificii; *ita quoq; ad Unionem Romano-Catholicæ Eccleſiæ omnes aliquando Proteſtantes reducendi ſint?*

ADfirmat Guilielmus Alabaſter Anglus *in Apparatu in Revelationem JESU Chriſti, cap. 6. pag. 102.* ex Eſaiæ 60. v. 6. *Copia Camelorum operiet te, Dromedarii Midian & Ephah omnes ipſi de Saba venient, aurum & thus deferent, & laudes Domini annunciabunt.* Alabaſter Textum Hebraicum ad verbum ita exponit: *Multitudo diviſa* גמלים Gemalim *Proteſtantium computabitur tibi, progeniti Midian Hæreticorum &* Ephah *Archihæreticorum univerſi ab errore redibunt, & puritatem & deſiderium diſcendi adferent & laudem Chriſti prædicabunt.* O felicem fingendi Artificem! Quis acumen non miretur? Quis non ſtupeat? Alabaſtro helleboro opus eſt in magna copia, ex Anticyra duabus triremibus advectâ, cujus dimidium Cenſoribus Libri debetur. Credat Judæus Apella, Proteſtantes Pontifici adulaturos, ad illius obſequium, deducente ac Proxeneta Alabaſtro, redituros, partam ſibi libertatem, multo majorum ſuorum ſudore & ſanguine abjecturos, & ſuperſtitionis capiſtrum demum induturos, jugumque *illud ſubituros, quod* etiam Pontificii prudentiores optârunt excuſſum; qui ſciunt, μὴ παυὶ ὑμβαίνειν δεξιὰν, & meminerunt; *Nullis tam ſubitò Romæ bene eſſe*, teſte Sylveſtro Petra Sancta Jeſuita Rom. *Notar. in Epiſt. Molinæi cap. 12. n. 9.*

Clariſſimo Dn. Reſpondenti & Autori Diſput. accuratiſſ. de honeſtiſſimo propoſito & laudatiſſimis in Studiis Philolog. & Theologicis progreſſibus, benevolentiæ & amicitiæ ergo animitus gratulabatur & applaudebat

DAVID CHRISTIANI SS. Theol. D. & Prof. Ord.

ULtima ſedecies abierunt ſecula, priſcis
Ex quo Judæus juſſus abire locis.
Exulat infelix turba, incertisque vagatur
Sedibus, & fixam neſcit in orbe domum.
Attamen hanc ſtolidi ſpem concepere, quod olim
Tota ſit ad patrios Gens reditura lares.

Hic nempe eſt fructus, dum caſſa putamina vocum,
Nec, quas illa tegunt, excutiuntur opes.
Sacra quidem reditum promiſit pagina genti,
Non vero qualem ſomniat illa fore.
Illa Palæſtinæ reditum ſibi ſpondet in arva,
Iſta Sioniticos non niſi novit agros.
Illa Novi meminit pangendi Fœderis, ullo
Hæc ceſſare negat tempore poſſe Vetus.
Iſta animis converſum iri plerosque, ſed illa,
Calce reverſuros corporibusque putat.
Usque adeò miſeram premit obduratio gentem,
Et Moyſis nondum diſcooperta teges!
Certè, ni divina fidem vox adderet, iſthoc
De reditu haud temerè quis dubitare queat.
Utrum ſit ſperanda dehinc Converſio, quaſvis
Præteritas ſuperans nobilitate ſua?
Nec conclamatum eſt Doctores hactenus inter,
Utpote qui varias hic iniere vias.
At quæ infallibili ſit opinio congrua normæ,
Edocet egregium hoc nos ſchediaſma Tuum.
Dum momenta rei curatius excutis, & quæ
Mens Scripturarum ſit genuina, probas.
Verùm hæc, HAMELI, *conſultus tranſeo, ne quid*
Auribus hic videar fortè dediſſe tuis.
Unum hoc affirmo, Juvenis quod id auſus es, unde
Cautas ſæpe manus abſtinuere Senes.
Macte Tuâ virtute, precor, profectibus iſtis,
Quos indefeſſus fecit, Amice, labor.
Præmia dat virtus, dabit ætas!, Patria, Cœlum,
In quo Te illorum præmia larga manent:
Qui reduxerunt depulſos, compita vitæ
Monſtravere Vagis, exulibusque locum.

Ita HAMELIO ſuo, Convictori atq; Contubernali exoptatiſſimo, de egregio iſthoc ſtudiorum edito ſpecimine gratulari, Eique in Patriam propediem abituro, iter fauſtum, & proſpera quævis ex animo apprecari volebat

HENR. ALBERT. GÖDEKE, Quickborn. Holſatus.

12 06 83

Schol Jud 153

SLUB
Wir führen Wissen.
http://digital.slub-dresden.de/id394110552/75
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft
DFG

SLUB
Wir führen Wissen.
http://digital.slub-dresden.de/id394110552/76
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft
DFG